DE

ANIMA BRUTORUM

QUID

SENSERINT PRÆCIPUI, APUD VETERES, PHILOSOPHI,


DISQUISIVIT

BREDIF.

ALGER

EX TYPIS A. MOLOT, VIA DICTA DE L'ÉTAT-MAJOR, 5.

1863


Ex-libris
Charles Atwood
Kofoid

DE

ANIMA BRUTORUM

QUID

SENSERINT PRÆCIPUI, APUD VETERES, PHILOSOPHI,

DISQUISIVIT

L BREDIF.

ALGER

EX TYPIS A. MOLOT, VIA DICTA DE L'ÉTAT-MAJOR, 5.

1863

DE

ANIMA BRUTORUM

I.

PHILOSOPHI ANTE PLATONEM FLORENTES

Inter quæstiones a Plutarcho disputatas in *moralibus*, una est momenti haud mediocris, *de anima brutorum*, quæ quidem ab antiquis velut obiter plerumque tractata, apud recentiores, sœculo imprimis septimo decimo, studiis utrinque vehementibus et acri contentione disceptata est. Quod autem ad hunc libellum attinet, rem cum amplissimam et nimii operis, si quis eam penitus explorare studeat, tum etiam plenam aleæ et periculi, scrutari altius non placuit. Minora enim conati, quænam de brutorum anima senserint principui veterum excutere instituimus.

Quo autem ex ordine diversas antiquorum doctrinas recensere oporteat, ipse temporum ordo decernit, earumque explicatio rite instituetur, si, memoratis breviter disciplinis eorum qui ante Socratem floruerunt, Academiam veterem, Lycæum, Porticum invisemus. Dein hortos Epicuri, Pyrrhoneorum Sophistarumque ludos attingemus in transcursu. Inde ad Philonem Judæum et Plutarchum devertere decebit,

quorum libellis de hac nostra quæstione scriptis aliquantum immorabimur, mox in Alexandrinum Musæum transituri, ubi disputatio nostra, apud Plotinum, Porphyrium et Proclum, velut in portu, requiescet.

Cum veteres fere omnes crediderint ex uno eodemque principio mundi universitatem esse profectam, ea fuit imprimis ratio philosophorum qui Ioniam, Italiam, Eleam urbem et Abderam ingenii sui lumine illustraverunt. Inde autem alterutrum fiat necesse est. Si enim substantia illa e qua genita esse omnia dicunt, corporea ducitur, flabilis, ignea, aut aliud id genus, et natura quælibet ab omni sejugata concretione tollenda est, continuo omni animali, sive corpus, sive etiam intellectum intueris, nihil nisi corporeum inerit ; ex quo sequitur materiam apud bruta juxta et hominem ea facultate donatam esse ut sentiat, sibi consulat per sagacitatem, et alia perficiat prudentiæ munera. Sin autem *Pantheistæ* (quos Leibnitzius bene vocat μονοψυχήτας) singulorum animas ab incorporeo semine ortas arbitrantur, quoniam eadem illa vis in omnia quæcunque vivunt et sentiunt emanavit, bruta eodem intellectu, eisdem facultatibus quibus homo, instructa reperiuntur. Utcumque igitur animam mundi materiam vel mentem interpretaris, animalium hominumque genus eadem elementa in se recipere fatendum est.

Quam opinionem vetustissimi quique philosophi ingenue secuti sunt, sibimet ipsis apprime convenientes. Thales enim aquam, Anaximenes aerem, Parmenides et Heraclitus ignem fuisse semen unde se mundus extulerit, prædicabant, subjiciebantque vim illam, vitæ, movendi et intelligendi principium, in omnia pariter animalia esse diffusam. Qua in sententia fuisse Archelaum testis est Diogenes Laertius, Empedoclem Stobæus et Anaxagoram (etsi non nihil fluctuantem), Aristoteles. Quamvis autem brutorum et hominum animas eadem essentia constare Ionici concluderent, tamen ne viderentur contumeliose maledicere homini, nonnulli hanc distinctionem

afferebant. Pecudi et homini essentia animæ et ratio eadem est in potestate (ἐν δύναμει), mens autem et prudentia dispar in actu (ἐν ἐνεργείᾳ). Ita quidem præcipit Diogenes Apollonia oriundus, crassitudinem aeris humidi quo mutorum anima confletur impedire ne hominum more intelligant aut cogitent. Diogeni consentiebat Anaxagoras, ut qui diceret omnibus quidem animalibus intellectum obtigisse, sed eum agiliorem segnioremve in unoquoque deprehendi: quid in causa sit, ipse expediet. Mens etenim illa, quæ varia rerum elementa prius confusa sapienti motu secrevit, ita se quoquoversus infudit, ut spiritus idem universitatem mundi intus aleret, molem indigestam olim, nunc ordinatam pulchritudinem (1). Mens autem cum incidisset in corpora plus minusve terrenis elementis hebetata, hic paulo viguit acrior, illic tarda jacuit ac velut elanguis.

Utinam Heraclitus Ephesius idem tenuisset! is enim adeo non hominis excellentiam confirmabat, ut terrestria omnia æque irrationabilia esse vociferaretur, rationem Cœlo uni reservans (οὐρανῷ) illi divino ex quo cetera effloruerunt, et hominis anima delibata est, sed ita ut vim nativam intelligendi non retineret, propter corporis accessionem.

Ionicis Italici successere philosophi, quorum princeps mathematicus Pythagoras numeros quoquo potuit ingessit. Ideo numero *sex* vegetam vitam, *septem* animalem, *octo* humanam designabat, et eas ita secernebat ut animalis vita propior humanæ quam vegetæ foret. Animam enim brutorum sensum et iram habere censebat, mente autem carere, quamvis ab universali anima procedat; sed crassa et imperfecta admodum pecudum organa effecerant ut a nativa dignitate multum dedeflecteret.

Post Italicos afferamne Eleatas? quoram princeps Xenophanes Colophonius haud mediocrem animalibus prudentiam condonabat, quantum colligi conjectura potest. Siquidem mentem (νοῦν) ac sensum (αἴσθησιν) una confundere vi-

debatur. Ceterum adest Parmenides minime dubius clientis hujus nostri patronus. Judicabat enim (auctore Stobæo) nullum animal esse rationis expers, sed omnia intelligentiam et scientiam capere.

Idem approbet Abderitarum schola necesse est, nisi se ipsam refellere non dubitabit. Qui enim nihil nisi atomos esse putant, excluso omni spiritu incorporeo, ii cur mutis denegent animum humano similem ? Nisi forte individua illa corpuscula non valeant in belluis efficere quod in hominibus. Ideo Democritus intelligendi et cognoscendi virtutem feris indiderat. Imo (atque id inepte si rem exiges ad veri regulam, non absurde si hominis respicies instituta), plantis etiam animam quamdam affingebat, quibus insit ille calor quem efficiant conglobatæ animarum atomi.

II

PLATO

Jam Platonis præcepta de brutis, si qua sunt expressa distinctius, excutiamus. Socrates enim ipse de fabricatione mundi et animantium variorum natura fere nihil attenderat, in homine totus et in Deo. Platonis vero uberior doctrina rerum fere omnium procreationem amplectitur in Timæo. Illic autem, ut breviter memorem, summum Deum inducit animas immortales fingentem ; dum inferiores Dii terrestria et mortalia quæque informare jubentur. Mortalia autem quæ infra lunam, et omne genus animantiun in tres species dividitur. Una est eorum quæ naturam sortita sunt ignis, qualem solem et lunam videmus, aliaque sidera. Alterum genus ex aere, quæ natura est Dæmonum ; tertium denique ex aqua et terra coalescit ; unde mortale genus corporum in terrenum ac terrestre distinguitur ; terrenum ad arbores ceterasque fruges pertinet, quæ humi affixæ, vitam radicibus, tanquam ore sugentes, ad se trahunt ; terrestria vero nuncupantur quæ alit et sustinet tellus, pecora nempe et homines. Sic orbes siderum, Dæmones, plantæ, pecudum hominumque genus inter animantia pariter annumerantur.

Videamus autem qualis anima sit infra lunam in unoqnoque genere. Stirpibus anima insidet, ut appellant Græci, φυτικὴ id est vegetativa, vel etiam ἐπιθυμητική. Planta enim quod sibi expedit appetit, sed absque omni sensu, haud secus ac bestia et homo. Pecudes vegetativæ animæ *sensitivam* aliam adjiciunt, qua dolent gaudentve, et percipiunt omnes pectoris affectus (θυμικὴ). Verum in homine triplex anima viget. Non solum enim illi vitam et sensum natura impertiit, sed et intellectum (νοῦς). Quo nihil est in terrarum orde præstantius. Ut autem excellentissimum illud naturæ donum sortitus sit homo, Protagoras (*a*) apud Platonem expromit.

Cum summus naturæ opifex Deus Dæmonum ministerio uti decrevisset ad mortalia quæque ad lucem evocanda (2), Prometheus et Epimetheus provinciam hanc a diis inferioribus accepere. Epimetheus vero fratrem obtestatus ut ipse animalibus dotes et sua cuique munera distribueret, a brutis initium cepit. Aliis robur et fortitudinem, aliis velocitatem pedum aut alarum effugia donavit, nec non et pellem duram, hirsutam spinis, aut villis atque etiam squamis obductam. Proprios inde cibos destinavit, herbam, baccas, frondes, et ipsorum brutorum carnem. Cum vero omnibus fere muneribus distributis, nihil jam homini reservandum superesse intelligeret, Epimetheus multum hærebat. Cui subvenit Prometheus, iniquo animo ferens hominem a fratre creatum esse nudum, sine armis aut naturali præsidio. Cui ut incommodo mederetur, Minervæ artes et Vulcano (3) ignem subripuit, quibus homo se protegeret. Sic armatum igne et ingenio genus humanum belluis multo præstantius evasit. Habes Protagoræ fabulam. Sed illa fortuita omissa sortitione, afferuntur aliæ causæ apud Platonem cur pecudes humano intellectu careaut.

(*a*) Plato, in-folio, p. 764; cf. comment. Ficini.

Animus ille cœlestis qui detractus a sideribus descendit in terram, ubi vitam et motum insinuet corporibus sua natura pigris, non subito neque sine vario decursu in domicilium hoc nostrum mortalitatis delabitur (*a*). Etenim inter orbes eos primum inhabitans quos lacteus circulus amplectitur, prout a zodiaco ad inferiora sidera deorsum deflectit, a tereti forma, quæ sola divina est, in conum producitur. Simul et dignitas sedis imminuitur, figuræ quoque conglobatæ dignitatem amittit. Ubi vero productus in conum animus orbes infra positos attingit, varios induit motus quos, demersus in corpora, retineat. Ita, in Veneris orbem lapsus, concipit genus illud cupiditatis quod vocatur (ἐπιθυμητικόν). Item in Martis, animosum quemdam ardorem (θυμόν); in Mercurii, facultatem interpretandi quæ sentiat (ἑρμηνευτικόν); in Lunæ denique, ne plura recenseam, vim generandi. His instructus opibus, jam vergit ad infimum orbem terrarum. Ibi vero mens ea, divinæ mentis particula, intelligit se in terrena corpora offensuram habitu atque dignitate diversissima. Decernit igitur se totam vel minorem sui partem in illa corpora induere, prout plus minusve sui ipsius referent formam et similitudinem. Hominis autem corpus unum, erectum et sublime, facile cœlum suspicit, tanquam exoptet ab imis ad supera evadere. Quid quod soli nostro capiti inest figura sphæræ, quam unam Plato censuit mentis capacem? Uni ergo homini infusa est ratio, cui sedes in capite rotundo est. Animalia cetera, semper prona in terram, ex ipsa suspiciendi difficultate recedunt a superis, et nullam aliqua sui parte exhibent divinorum corporum similitudinem. Quamobrem duo tantum sortita sunt, crescere et sentire (4).

Nam si quid in illis rationem imitatur, non ea germana ratio existimanda est, quæ, sui conscia, voluntario consi-

---

(*a*) Macrobius, Commentarius de Somnio Scipionis, I, 14. — Baylium Dict. phil. t. III, p. 651.

lio et excellenti judicio exerceatur; sed potius *memoria*, et confusa profecto, qualis hebetiores sensus crassumque corpus comitetur æquum est. (Hæc scilicet memoria brutorum reminiscentiam illam Platonicam imperfecte adumbrat, ita ut quæ videantur intellectui referenda in belluis, a manca tantum recordatione proficiscantur.) Sic auctor Timæi commentus est : etsi maxima debetur tanto viro reverentia, ne sit nefas vocem hanc celebratam eo loco usurpare : amicus Plato, sed magis amica veritas. Ne detur omnibus *ore rotundo*, sicuti Graiis, eloqui per me licet. Sed durum quiddam et novercale bestiæ experiuntur a natura, quæ jusserit intellectum capiti non nisi rotundo inhabitare.

Capta mente propter corporis sui figuram, ipsam loquendi copiam muta desiderant. Mentem enim (ἐνδιάθετος λόγος) et sermonem (προφορικὸς λογός) arctissimis inter se vinculis natura conjunxit, nec immerito res utraque uno apud Græcos exprimitur vocabulo. Itaque Plato in Theete, significaturus animalia affectus non posse loquendo aperire, ea consonantibus assimilat, litteris nimirum non vocalibus. Si vero brutorum anima interiore juxta et exteriore verbo caret, quidnam illi tandem relinquetur? Sentiendi vis et imaginandi. Sensum autem Plato sic definit : « commercium quoddam inter animam et corpus, hunc ad finem institutum, ut exteriora percipiantur. » nares enim et oculi et aures sunt quasi satellites ac nuntii qui animam rei videndæ admonent, vel speculi ad instar considerandam eam exhibent.

Utilitatem haud minorem habet imaginatio (φαντασία). Ejus enim ministerio conceptas rerum imagines pectore retinere bestia potest, id est meminisse. Vide autem consequentia, et quomodo Plato concludat species illas vel *ideas* adeo celebratas reipsa existere et ab ipsis pecudibus recipi. Si est memoria, inquit, sequitur formas quoque rerum esse, quia memoria est rei cujusdam quiescentis ac permanentis. Nihil autem permanet, præter formas. Sunt igitur revera *ideæ* vel formæ

corporum quas impressas in se bestiæ retinent, ita ut, typo illo adjuvante, singula recognoscant ad suum victum et conservationem pertinentia. (5) Hæc est quæ dicitur a Platone contemplatio vel agnitio similium (ὁμοιότητος θεωρία).

Hunc locum ab Epicharmo (*a*) recte an perperam mutuatus sit Plato disquirere non opportunum. Etsi facile sit convincere non modo rerum species esse vanas, nedum vera vita præditæ sint, sed etiam non omnia ipsa quæ tibi cogitatione depingis reipsa existere aut fieri ut Chimæram, Hippocentaurum. Sed alius viderit. Unum equidem ex ea Platonis opinione colligendum volo, muta scilicet non esse omni prudentia destituta. Ipse enim vere, sed minus sibi convenienter, profitetur mentem aliquam naturalem (νοῦν φυσικόν) iis esse inditam, ut similia conferant cum similibus, et, comparatione facta, agnoscant. Et quidem ita est : excellentis illius mentis lumine orbata sunt, qua nos omni naturæ infra lunam sitæ antecedimus, non autem plane caligant. Aliud ratio (νοῦς), aliud intellectus (φρόνησις). Illa enim quæ sunt supra sensum intuetur, seque ad cœlestia erigit; hic autem, sensuum ministerio usus, dat animali ut sibi eonsulat, et quæ pertinent ad corpus amplectitur. Ratione ideo caret animal, non quodam intellectu : præsto est ipse Plato rem confirmaturus. In describendis enim tribus animæ partibus, mentem dico iram et cupiditatem, has duas novissimas feræ adscribit. Anima autem irascibilis (θύμος) non videtur Platoni rationis omnino expers, quandoquidem appetitus ad iram pertinentes quasi fœdus et societatem cum ea possint inire. Ideo videmus canem, si antea proper furtum panis fuerit castigatus, a pane licet esuriens et omni remoto teste abstinere. Sic appetitum temperat prudentia.

Moderatio illa cupiditatis hominis est et brutorum. Multa vero uni contingunt homini, veluti dinumerare aut

---

(*a*) Diogène Laerce, à l'article Platon, in-folio, p. 73.

rerum percipere ordinem. Nulla unquam vel sagacissima bestia tabulam bene pictam, vel ædem rite exstructam demirata est. Quid quod nulla sponte sua saltat ad numerum? movebitur tantum et exsultabit, ac si forte elephantus aliquis pedum manusque suæ motu modos fidium sequi edoctus esse videbitur, non se declarabit vim aut intervalla sonorum percipere, sed meminisse instituentis magistri disciplinam. De musice item. At enim, Plinius inquiet, delphini ad citharæ cantum in littore conveniunt, et nonnulla piscium genera suavitas calami detricet.— Res, ut mihi videtur, nugatoria, potiusque Platoni suffragor harmoniæ sensum brutis deneganti. Sonum quidem audiunt, non autem sonorum concordiam : inde canes suavissimos concentus iniquissimo ferunt animo, iratique allatrant ad ea quæ nostras demulcent leniter aures.

Si vero ad voluntatem liberam spectas, quam distant ab homine bruta ! in brutis enim anima concupiscibilis dominatur, et ea fati quadam devincitur necessitate. Non enim judicio et voluntate, sed naturæ invicta vi coactum animal appetit ea quæ ad potum victumque pertinent, non secus et obdormiscit invitum, quia ita fuit a natura creatum ut somno indigeat; neque magis his obsistere valet, quam aquæ rivus a decurrendo clivo, planta se a crescendo cohibere. Haud aliter tua est in potestate abstinere cibo ; ubi autem eum in stomachum demiseris, reliqua non te penes erunt, et natura, velis nolis, suum per se munus exsequente, alimentum concoquetur per vim illam nutriendi (θρεπτικήν) quæ succos per corpus digerit et distribuit. (θρεπτικόν) illud (a Platone dictum quoque ἐπιθυμητικόν in planta) philosophus assimilat concupiscibili animæ quæ, ab omni libertate ac voluntate aliena, apud bruta præpollens deprehenditur. — Irascibilis autem anima, etsi cum anima concupiscibili conjuncta, non est omnimo (ut jam diximus) a rationabili sejuncta. Itaque se ipsam vincere potest, ita ut contra cupiditatem rationis

auxilium invocet, indomitam illius petulantiam coercitura. Quid inde? Hominem eo liberiorem esse, et magis voluntariæ actionis capacem, quo majorem vim rationis in se recepit : bruta vero, fere tota in concupiscibili anima, libertate fere omnimo privari. Sed longe maximum illud interest, animalia nullam habere notitiam Dei, quod contra homini contigit. Posteaquam enim divinum mentis atque ignis donum illi obtigisset, statim ob ipsam cum superioribus cognationem, Deos esse intellexit et professus est, eorumque numen veneratus, statuas et altaria posuit.

Jam venio ad immortalitatem animæ. Legitur in Eclogis Stobæi : « secundum Platonem omnis anima immortalis est, et semper mobilis, » (6) et contra in Plutarcho : « Pythagoras et Plato animæ rationabili immortalitatem asserunt, quod sit non ipse Deus, sed æterni Dei opus ; corrumpi vero censent animam rationis expertem. » Nonne videntur ea repugnare ? et, si vere contraria sunt, ecqua redditur illius discordiæ ratio ? Primum omnium, mobilitate vigere animam apud Platonem constat, et ob id ipsum animantes ille vocat arbores quod moventur. Haud se quidem voluntate propria movent, sed illis inest principium motus anima. Anima igitur illa plantarum θρεπτική, vel φυτική, vel etiam ἐπιθυμητική appellata, cum habeat in se movendi vim, æterna sit necessum est. Tanto magis pecudum et hominum anima morti subducitur : unde liquet omnes animas per omnem æternitatem duraturas. Sic locus Stobæi, Platone ipso adjuvante, defenditur. At vero Plutarchus numquid jure reclamet ? Minime : nam is quoque vere sententiam explicuit Platonis. Quod autem duo illi sensus male conveniunt, Plato ipse se purget. Ceterum attendas velim duas in ejus doctrina partes posse secerni, ita constitutas ut, prout in alterutram deflectit, omni animæ aut certæ cuidam animæ parti immortalitatem adscribat.

Summo enim ingenio vir Ionicorum Italicorumque phi-

losophorum disciplinis eruditissimus, eorum primo se imbuerat præceptis qui mundo universo animam unam assignant, et eam quoquoversus esse diffusam ab ipso Socrate didicerat. Inde cum sequeretur omnem animam, Dei particulam, consecratam esse immortalitati, id Plato facile ratum habuit. Postea vero cum ab illo universali spiritu in omnia quæcumque sentiunt et vivunt infuso velut oculos paulum avertisset, quod est in anima mundi excellentissimum, id est, mentem (νοῦν) accuratius et præcipue intueri cœpit. Ita in contemplatione mentis infixus, quam foret admirabilis, quam vere divina clarius agnovit, et sublimi illa commentatione inductus est ut cetera tanquam infima minimi faceret. Inde ratio illa *Idearum* quæ solæ vere sunt, (τὸ ὄν) et contemptio caducarum illarum imaginum quibus noster hic orbis veluti simulacris et umbris oppletur. Itaque cum sumeret nihil præter *Ideas* revera existere, haud ita mirandum si æternitatem reservaverit animæ nostræ parti quæ divinas et immortales rerum formas concipit. Animus ergo rationabilis solus est æternus; cetera vana sunt, et, sicuti corpora morte dilabuntur. Talem fuisse platonici ingenii progressum facile crediderim. Animæ cujuslibet immortalitatem tuetur, inductus videlicet antiquarum disciplinarum recordatione: nihil nisi mentem æternum profitetur, cum ipse sui inventorumque suorum bene meminit.

Quorsum vero hæc? Ut, non meo sed Platonis nomine (audio et refero, non autem credo), bestiarum animas ab interitu prohibeam. Sive enim Stobæi seu Plutarchi testimonium adhibetur, res evenit eodem. Nam si Plutarchi locum attendis, anima brutorum corpori dissoluto supererit, quatenus in se continebit aliquid menti aut rationi affine. Ira autem (θύμος) rationis est nonnihil particeps, et ideas, eorum quæ natura complectitur exemplaria æterna, pecudes ipsæ in se impressas habent (*a*). Ergo bestia aliqua sui parte

(*a*) Vide supra, p. 13.

mortem effugit. Quid vero futurum est si, ut Stobæus memorat, omnis anima per se viget in æternum ? Tanto magis anima belluæ usque vigebit, etiamsi ne ullum quidem exhibeat intellectus indicium. Atqui illam animæ vel irrationabilis perpetuitatem confirmat Plato cum de transitu animarum in corpora diversa disserit. Qui enim in priore vita gravius deliquerint, eos secundus ortus in figuram mulierum transfert ; si vero castigatione illa male eruditus intemperate quis iterum vixerit, in suis moribus simillimas figuras pecudum et ferarum transmigrabit (*a*). Habes fere totam Platonis de brutorum anima sententiam. Jam excutiamus Aristotelem.

(*a*) cf Timæum, translatum a Cicerone.

III.

ARISTOTELES

Aristoteles, doctrina quamvis Platonica magnopere imbutus, a magistro tamen fuit multum dissimilis ; non quod plurima illius placita aspernaretur, sed propria quadam ingenii sui forma et veluti doctrinæ conformatione. Cum enim Plato fere totus in suis Ideis fuisset, et ad cœlestia plerumque conversus, ideo tantum terrestria attigisset ut idearum imaginem, imperfectam licet et quasi adumbratam, inter homines persequeretur, longe alia fuit ratio Stagiritæ. Non in cœlum præcipue, Platonicæ philosophiæ arcem, cogitationes suas contulit, sed libentius continuit in terris. Unus mundi sub intelleetum cadentis exstitit interpres, alter ejus præsertim quem sensus capit, et quanto, me Dius fidius, ingenii vigore ! Sic animantium omnium ortus, victus, figuras recensere adorsus est ; sic homines et bruta tam acri studio et inveniendi sagacitate exploravit, unde res attulerit de hac nostra quæstione copiose prudenterque cogitatas.

Quas tamen cum in diversis operibus ediderit, interdum sibi minus constare videtur. Etenim in scriptis ubi speculativa explicat, sibi quidem ipse convenit, sed veritati

minus. Ubi vero mentem a (meditatione notionum ad ipsam rerum contemplationem traducit, cum vero redit in gratiam et ipse a se deficit. Cujus rei tibi fidem facient cum *de anima* tum de *animalium historia* libri.

Animam Aristoteles his verbis definit. « Primus actus corporis naturalis ejusdemque organici, quod vitam habet in potestate. » Constat autem non uno e quatuor elementis, sed quinta quadam natura singulari, cui nullum sit cum ceteris principiis commercium. Bestia ergo et ipsa animam habet (ἐντελέχειαν), e quinto illo genere conflatam. Sed quousque illa brutorum anima patebit? in vivendo sentiendoque continetur, citra omnem intellectum. Sed enim in ceteris animalibus (nam exceptus est homo), non intellectus (νόησις) neque ratio (λογισμός), sed imaginatio inest sola (φαντασία). Ipsa autem imaginatio aut rationis est particeps aut tantummodo sensûs. Quæ rationis, deliberativa cognominatur, et homini propria reservatur ab Aristotele ; quæ sensûs, ad reliqua animalia pertinet. Quæ cum præceperit philosophus, alio loco edocet discernendi potentiam (τὸ κριτικόν) officium esse mentis et sensus. Sensus enim discernendi materiam offert intellectui et res arripiendas menti ministrat. Illud sane Aristotelis inter eruditos convenit. Cum autem negaverit quidquam in brutis esse præter imaginationem sensitivam, sustinebit profiteri bruta nihil discernere ? Nemo sanus monstrum tale comprobet, et ipse Stagirita alibi refutabit. Quamdiu vero de anima θεωρητῶς disputat, defendit muta solam ac meram sentiendi facultatem obtinuisse. Quam opinionem in præsens omittamus, et reliqua Aristotelis de sensu placita interpretemur. Apud omnia animalia sensus fit in anima corporis ministerio. Quemadmodum autem pecudes eodem modo sentiunt quo homines, ita non sentiunt eodem. Nam quinque sensibus instructa, e duobus tantum, tactu scilicet et gustu, voluptatem percipiunt. Per alios, aut nullo pacto aut aliqua solum

data occasione et ob certam aliam causam, delectantur. Cibum enim videre aut odorari gaudent quem appetant. Ubi vero appetitio abest, nullam ex iis sensibus voluptatem capiunt. Sic jejunus homo et salsamenta libentius olfacit, quamvis, fame pulsa, odorem istum negligat aut etiam oderit. Omni autem tempore videre amat tabulam bene pictam, et rosarum suavitate frui. Quid quod vocum concentus illius aures gratissime demulcet? Atqui nihil, in bestia tale; nec mirum vere enim advertit Aristoteles audiendi sensum morale quiddam in anima efficere (ἦθος), quæ res idem sonat quam si dicat audiendi voluptatem bruta desiderare. Jam de visu, Tullius præsto erit Aristotelis interpres. Sic enim Cicero disputat, vias quasdam esse ad nares et oculos et alios sensus a sedc animi perforatas. Sed voluptatum quæ admirabili illo itinere ad animum perveniunt non est conditio eadem. Nam aliæ cum perculerint primo sensus, repercussu quodam ad animum ipsum tanquam ad propositum finem referuntur. Quales sunt gustandi, olfaciendi, audiendi et tangendi voluptates. Jucunditas autem videndi oculorum ingressa viam recto itinere ad animum tendit, ita ut sensus, minister delectationis, nullam illius partem sibi vindicet, sed imperatori animo transmittat integram. Inde fit ut hominis animus, oculo neque sentiente quidquam neque gaudente, videndo ipse gaudeat. Itaque facile intelliges cur bruta colorum pulchritudine non mulceantur. Cum enim eorum anima gravius demersa in materiam, et arctiori ut ita dicam impedita copulatione corporis, sponte sua paucissima sentiat, nulla jam videndi recreatur jucunditate, ubi ipsi oculi non recreantur titillatione voluptatis. Bene igitur Tullius existimavit, Aristotelicæ disciplinæ et fidei rerum obsecutus, omnem sensum hominum multo antecedere sensibus bestiarum. Quamvis enim aquila remotissima cernat subtilius, nequaquam formæ suæ dignitatem videt ut homo suam. Quæ in sensu pertineant ad corpus latissime nterdum patere in bestiis fatetur Aristoteles. Quæ vero ad

mentem et animum, plane absunt. Itaque tactu et gustu potissimum bestiæ juvantur, id est infami et fœdissima voluptate ; si qua vero ingenue ac liberaliter oblectant, ut oculis et auribus percepta voluptas, hæc illis nullo modo sapiunt.

Pecudes homo superat sensu, id est hoc ipso quod habent potissimum ; pecudes contra in eorum quæ sunt hominis consortium minime veniunt, nedum excellant. Peculiares enim homini *artem et ratiocinationem* dicit Aristoteles (*c*). Ratiocinatio qualis sit vox ipsa satis demonstrat : *artem* vero philosophus intelligit non rerum sed causarum cognitionem. Qui ultra τὸ ὅτι progressus τὸ διότι mente assequitur is demum artem possidet ; unde oritur experientia quædam vulgari illa multo præstantior. Novisse enim rem rursus eventuram qualem jam evenisse expertus sis, manca est et pusilla scientia, nisi quamobrem et qua lege naturæ futura sit addidiceris. Experientia autem quæ res tantum singulas, velut ad superficiem, attingit, etiam in muta cadit ; ars autem quæ illas perspicit intus et certa lege conjunctas videt homini est propria.

Superiora illa, e libello *de anima* deprompta, Aristoteles ipse sui corrector in *historiis de animalibus* nonnunquam immutavit. Aliud enim rationem aliquam describere cogitatione, aliud res experiri usu. Ideo cum eximius ille naturæ indagator ad ipsa bruta inspicienda devenit, in mitiorem erga illa sententiam inclinat, nec male præcepti meminit : suum cuique (*r*). Primum enim cum admirabilem illam naturæ progressionem aperit, qua fit ut ab inanimis gradatim et sine saltu transeat ad animantes, et eos magis excellentes dignitate, medium inter gignentia et homines collocat genus bes-

(*c*) Ravaisson, métaphy. d'Arist. I, 118.

(*r*) Integer quisque philosophus Horatii præceptum amplectatur :
Non mihi res, sed me rebus submittere conor.
Neve referat Procustum volentem captivorum corpora ad mensuram lecti, quoquo pretio, habilia fieri.

tiarum. Homini tamen multo propius quam plantæ, vim discernendi nactum est, quæ sit frugibus denegata. Arbor enim nulla unquam, nulla fruticum propago, quantumvis erratica, deprensa est, quæ proprio motu salutaria appeteret, aut refugeret pestifera. Atqui dijudicandi illam facultatem Aristoteles ipse declarat sensus unaque mentis esse officium: unde colligendum aliqua mente bestias uti; sed quatenus? In illa animantium serie quam catenæ pendenti assimilaverim, unusquisque annulus summa sui parte inferiorem annuli supra positi partem attingit. Ita quod est in bestiarum intellectu eminentissimum, apud nos est, præ ceteris intelligentiæ nostræ muneribus, infimum et prorsus humile. Itaque Aristoteles naturam brutorum affinem esse voluit infantiæ hominis, qua in ætate imperfecta cernitur maturitatis nostræ delineatio. Hanc similitudinem haud semel expressit, nec injuria, ut qui bestiam et infantem vere pares componeret. Quam enim se referant invicem in propatulo est. Namque eam mentem quæ, homini maturo indita, ipsa se inspicit, non apud infantem aut bestiam invenies (8). Nunquam eorum intellectus sese colligit, usque adeo sensibus foras evocatur, nedum se intus reputando contineat (9).

Jam vero libertas neutri eorum contingit, si credas Aristoteli. Quippe qui libertatem et voluntatem legitimam existimet quæ conjuncta rationi, ac sui conscia, naturales appetitus judicio moderatur, atque etiam vincit. Animal autem dicit, propositis bono et malo, ad bonum impulsu naturæ, sine consilio ferri: atque de infantibus item, siquidem noster sine verborum ambagibus defendit bestiarum et infantium animas nihil discrepare.

Venio ad memoriam de qua accurate disputavit Aristoteles. Quæ animalia temporis sensum habent, inquit, ea sola meminerunt. Etenim cum quis utitur memoria, sentit se id vidisse aut percepisse prius. Prius autem illud in tempore est. Sed cui animæ parti memoria insidet? Eidem in qua imagi-

nandi vis est collocata ; et ea memoriæ subjiciuntur quæ sub imaginationem cadere possunt. Ideo memoria corporalis est affectio, quoniam ab imaginatione (φαντασία αἰσθητική) proficiscitur ; eamque non a voluntate oriri argumento est, quod interdum recordari conantibus non reducitur, et postea revocatur in mentem aliud agentibus, cum jam meminisse nullo modo curamus. Memoria ergo pertinet ad animalia quibus insit imaginandi vis, ut ad muta ipsa et infantem. Quæ autem dicitur reminiscentia (ἀνάμνησις, id est rursus meminisse), ab ipsa memoria longe dissimilis, non eam necessario comitatur. Vulgo enim dici solet : equidem memini factum, sed quomodo et ubi et quando, nescio.

Ea autem per ἀνάμνησιν recipimus. Cum enim factum tenemus, proxima quæque studemus arripere, prout alia aliis naturali fortuitave conjunctione connexa sunt. Ita rerum vicinarum seriem emensi, cani haud absimiles qui vestigia feræ subodoratus, per quemdam indagandi circuitum in prædam incurrit, ita nos quoque in rem incidimus prius memoria elapsam, et integram rei recordationem recuperamus. Reminiscentia autem, ait Aristoteles, nulli contingit animalium nisi homini, et maturo quidem. Nam qui reminiscitur, ratiocinationem aliquam instituit de eo quod prius viderit, audierit, perceperit, et hæc est *disquisitio*. Disquisitionem autem iis solis natura tribuit quibus competit deliberandi facultas, (τό βουλευτικόν) mutis et infantibus denegata.

Si vero linguam utrorumque respicies, eadem utrinque infirmitas apparebit. Muta enim habent sane vocem (φωνήν), sermonem vero neutiquam (διάλεκτον), non usa vocibus articulatis. Infantum conditio eadem. Sed maximum id interest, quod infantiam subsequitur adolescentia, ita ut homo possit ingenitam sibi cogitandi et eloquendi vim adhibere. Progrediente enim ætate, semina illa in nobis recondita ubi paulatim accrevere, fructus efferunt suos. In bestiis ne semina quidem, aut si qua latent, nunquam efflo-

rescunt. Quid plura? ex eodem fere loco profecti, tantisper æqua fronte procedunt infans et bestia. Brevi autem, una subsistente, alter vadit ulterius, et ab infima conditione ad excellentem erigitur.

Pecudes, ait Aristoteles, naturali quadam vi præditæ videntur quæ singulis humani animi affectibus respondet, fortitudini, timiditati, mansuetudini, crudelitati et aliis similibus. Eos autem affectus sanguini frigidiori calidiorive attribuit, et temperamento elementorum quibus conflatum est corpus (a). Ita quorum sanguis fibris admodum multis crassisque abundat, ea bruta moribus iracunda et in furorem proclivia sunt. Fibræ enim cum terrenam propter naturam facile calefiant, quasi fomenta sunt in sanguine. Timidiora rursus, quibus inest sanguis aquosus, quoniam aqua frigori affinis. Denique mores et varia ingenia pecudum non ex habitu aliquo animæ sed corporis proficiscuntur. Immo Stagirita, progressus ultra, postquam in feris similia quædam prudentiæ et sapientiæ humanæ agnovit, ad camdem causam non ea referre dubitat. Otiosum igitur solertiam apum et formicarum admirari. Hanc non acceptam habent Deo, quem forte putes artem bestiolis iis vitæ subsidium, et salutis adjutricem inseruisse, sed humori tenui et puro qui apud eas sanguinis locum obtinet. Inde subtilitatem corporei elementi subtilitas ingenii sequitur. Quam equidem Aristotelis opinionem aleæ plenam existimo. Ea enim est cui libentissime suffragentur philosophi mentis omnia opera corpori attribuentes. Id quasi non esset accuratissime præcavendum, ea præcipit Aristoteles quæ possint a maledico in humanam industriam retorqueri. Si enim tale fit in bestia, quidni in homine? Cæterum causa semel prudentiæ descripta, indicia intellectus belluini, sine ulla religione, in lucem expromit, ita ut alias artifices, alias prudentes feras appellet, atque ultro de elephanto scri-

(a) De partibus animalium, II, 4. cf Plutarchum, de virtute morali, XI.

bat : « Sensuum ille et ceteri intellectus facultate magnopere præstat », et alibi summam sententiæ suæ videtur his verbis enuntiasse : « Anima brutorum non natura sui, sed facultatum modo et mensura ab humana distat. » (*a*) Habemus, si fas dicere, confitentem reum. Quod enim disciplina philosophi dissimulaverat omiseratve, rerum ipsa fides exprimit, et metaphysici placita sagacis historici ingenuitate redarguuntur. Ipse enim illustria veræ solertiæ specimina protulit, dum ferarum mores notabat, et ea quæ non ascribantur animæ sensu tantummodo vigenti. — Cæterum Stagirita licet ipse se in historiis de animalibus correxisset, doctrina ejus de anima brutorum sensu contenta apud Scholasticos, paucissimis adversantibus (quorum fuit in numero Scotus) viguit sacrosancta, donec Cartesius, Peripateticorum impugnator, novum quid et pessimum hercle commendavit. (10)

(*a*) De anima, edition Didot, p. 145.

IV.

STOICI.

Stoicos animam quamdam eamdem in omnes mundi partes infudisse nemo nescit, et eam non hominibus modo ac mutis, sed etiam iis quæ vulgo inanimata dicuntur attribuisse. Spiritus autem igneus est (πνεῦμα ἔνθερμον) variis aptus muneribus, prout in hanc aut illam se naturam insinuavit. Plantæ enim anima, crescendi vi contenta, ea est quam Schola vegetativam nomine celebravit; in bestiis autem sentit et aliquem habet impetum (ὁρμή); in homine denique, excellenti quodam, ut ipsi dictitant, privilegio, ratione et oratione instructa est. Ita hominis anima octo potestatibus constat, quinque sensibus, facultate generandi, loquendi et cogitandi (*r*), Cum autem necesse sit omnem naturam quæ non solitaria sit neque simplex, sed cum alio juncta et connexa, habere aliquem principatum, pars animæ principalis erit mens aut ratio, facultas vere regia τὸ ἡγεμονικόν quæ ceteras ut vinculum una devincit, et iis utitur tanquam polypius acetabulis suis. Ex illo decreto suo definiunt Stoici visum spiritum a

---

(*r*) Vide Plutarchum de Placitis Philosoph. IV, 4 et Galenum de Historia Philosophica.

principatu in aures extensum; atque item olfactum ad nares, gustum in linguam, tactum in omnem corporis superficiem productum autumant. Procreandi vero facultas spiritus dicitur missus ab ἡγεμονικῷ in membra semini conficiendo apta; et vocis artifex facultas, spiritus in membra voci formandæ accommodata transmissus. Ita regium illud et principale medium quiddam est in quod omnes animæ vires una vergunt, veluti nervi coeunt in cerebro, ita ut ratio sentiendi, generandi et eloquendi causa sit efficiens. Vide autem ut Stoici ab ancipiti disciplina sua in præceps eant. Cum enim bruta ratione carere neque immerito velint, eo se ipsi detrudunt ut propter principatus et ceterarum animæ partium connexionem, brutorum naturam ad inane nescio quid adigant. Primum enim necesse est imaginandi facultate bestia vacet, quam isti dicunt impressionem esse (τύπωσιν) vel mutationem (ἀλλοίωσιν) in principali animi parte. (*a*) Atqui si caret imaginandi vi, experientia et memoria carebit. Hanc enim imaginandi facultatis rationem instituunt Stoici. Cum maxime in lucem editus est homo, principatum animi puram membranam esse fingunt (χάρτην) scribendis litteris aptam, in qua imagines omnes (φαντάσματα) rerum postea notabuntur. Ideo ubi quid percipimus e sensibus, id inscriptum in membrana manet, ita ut possimus ejus meminisse, et cum plura in his animi tabulis congregata fuerint, rerum usum et experientiam assequi. Bruta vero neque memoriam unquam, neque experientiam obtinebunt, cum animi principali parte non instructa, nullam in se receperint rerum impressionem. Verum non satis est Stoicis intellectum omnem bestiis detrahere. Immo et ipsos affectus omnino tollunt. Ex eo enim quod pars animæ princeps se immiscet reliquis, et non sine ratione homo sentit, loquitur, et similem sui generat, conti-

---

(*a*) De omni illa Stoicorum disciplina, vide Simplicium et annotationes Salmasii, passim.

nuo rationis quoque auxilio movetur et cupit. Quod secuti plerique Stoici Zenonis sententiam amplexi sunt, perturbationes animi esse judicia (κρίσεις) et opiniones (δόξας), una commiscentes quæ Plato diligentius secreverat, motus animi non rationi sed iræ aut cupiditati attribuens. Quemadmodum vero Stoici tria animæ elementa (ἐπιθυμητικόν, θυμοειδές, νοητικόν apud Platonem, ἡγεμονικόν apud Zenonem) non tripartito collocabant, unum in capite, alterum in pectore, tertiam subter præcordia, sed in uno conjungebant corde, sic ad animæ regiam partem ipsas libidines volebant referri. Quem locum Stoicæ disciplinæ copiose tractavit Tusculanarum quæstionum auctor : « est igitur ægritudo opinio recens mali præsentis. Metus opinio impendentis mali ; libido, opinio venturi boni, etc... » denique omnes perturbationes ex opinatis malis bonisve oriuntur. — At enim, dixerit quispiam, numquid habet ista opinio, sæpe prava, cum ipsa ratione commune, quæ semper .recta est ? — Stoici quidem opinionem volebant esse assensionem imbecillam et falsam haud semel ; sed etiamsi falsa sit, hanc illi cum ratione quodammodo copulant. Non quod verum et falsum unum et idem esse defendant, sed quia hunc unum falsa opinari arbitrentur qui possit vera et certa intelligere. Si qua enim contraria sunt, neutrum potest sine altero apud aliquem existere. Ita justitia caret qui non est et injuriæ capax, neque securus unquam dici poteris nisi poteris etiam esse sollicitus.

Quid inde ? falsa quoque opinio, licet aversa a ratione, apud eum unum occurrit qui ratione utitur ; cum autem cupiditates ab opinatis bonis malisve deriventur, is demum cupidus cui ratio inest. Ita metus, sollicitudines, tristitia minime sunt in bestiis, sed inanes quædam rerum illarum species. Quonamvero nomine tandem appellandi illi motus quibus ad agendum aut inter agendum incitantur ? impulsus hi sunt, respondet Stoicus et impetus, non cupiditates veræ. Vulgus quidem ira dicit exagitari leonem, aut taurum. Enimvero

vulgus desipit. Sic imperiti loquuntur ; sapiens vero rabiem hanc appellat, feritatem et incursum. Feræ enim non iram habent, quæ sit pœnæ exigundæ cupido. Ne igitur suam homini excellentiam eripias. Is enim solus cupiditate laborat quia mente præditus est ; solus inimicum vult iratus ulcisci, quia solus præstantissimum rationis donum accepit. Bestia nihil unquam voluit aut volet; cæco impulsu agit incitata, nunquam consilio, et vana tantum cupiditatum simulacra exhibet. At si cupiditate caret, sapienti assimilanda est? Absit! vacat enim cupiditate sapiens quod eam abjicit a se et vincit; bestia quod abesse ab ea naturâ ipsius cogitur.

Hæc Stoici ; Cynici vero ulterius etiam progressi erant. Nam priusquam Zeno muta defraudaret animæ principatu cui sentiendi facultas connexa est, ipsam illis sentiendi vim auctoritate sua Diogenes detraxerat. Locum Plutarchi in medium proferam. « Diogenes bruta censet *mentis* et *aeris* in partem venire, (*a*) sed propter humorem nimis crassum et redundantem, neque intelligere neque sentire (11). » Aeris autem et mentis participia vocat, quod eorum anima ex anima illa mundi defluxit quæ constat aere calido et ratione viget. Cum vero corporis elementa ita temperata sint apud feras ut pars animæ rationabilis oppressa langueat, nihil mutis relinquitur ex iis facultatibus quas animæ principatui, id est rationi, Stoici conjunxerunt, inter quas annumeratur sentiendi copia. Itaque, ut ipsi aiebant Stoici, inter bruta et stirpes natura nihil interesse voluit. Illæ enim sine appetitu ac sensu gubernantur, sicut in nobismetipsis quædam inscientibus neque sentientibus efficiuntur. Quo quidem modo et animalia exhilarantur et arbores virescunt.

Ex qua plantarum bestiarumque comparatione Stoici colligebant quonam pacto a nobis utræque habendæ sint. Bruta

---

(*a*) Pro νοητοῦ καὶ ἀέρος Wyttenbachius proponit νοητικοῦ ἀέρος, quod idem sonat et ignis artificiosus stoicorum.

enim dictitabant prodesse posse, sed nulla beneficia dare, ideoque decere hominem adversus ea sensibus iisdem affici quibus erga res anima carentes. Ideo nec mutis animalibus quidquam debetur, et quam multos, ait Seneca, velocitas equi e periculo rapuit; nec arboribus, etiamsi te laborantem æstu ramorum opacitate juverint. Desinant igitur leonis clementiam extollere, aut alia ejusmodi quæ ad benignam aliquam voluntatem a nobis ascribi feræ ne suspicantur quidem. Quanquam ipsæ sunt sui indices suamque aperte detegunt naturam, cum ab ulla facti gratia reposcenda abstineant; quod peculiare fateor bestiis et parum usitatum ab homine.

Bruta quemadmodun merita conferunt nulla, ita nunquam injuriam faciunt, quia *velle* non possunt, et injuria nonnisi a consilio proficiscitur. Nocent ergo interdum ut ferrum et lapis, sed sine injuria atque ideo nonquam plagis afficienda, si quem temere et inconsulte læserint. Is enim insipientem referat puerum qui cum cecidit, terram vult verberari, aut aliud id genus male mulctari, quasi singulos ictus dolor et castigatio sequatur. Xerxes igitur, dum flagellis mare cædebat, minime se Stoicum gerebat, et Augustus ipse, tantum non tactus de cœlo apud Cantabros, liberalius quam prudentius ædem Fulmini sacravit. Huic nullomodo suffragetur Porticus, sed potius illi Philinti nostro qui improbitatem hominum æqua mente tolerat, perinde quasi feritatem luporum et simiis ingenitam malitiam experiatur. Sed enim ab ira se temperat adversus bestias Chrysippi æmulator; verum idem eas, si salutarem offerant cibum, comedere non dubitat. Natura enim illa cui convenienter vivit sapiens excandescere in muta vetat, non autem iis vesci. Imo ipsa jubet hominem quæcumque gignuntur e terra in suum usum transferre. Namque nihil sine causa generatum est, sed fruges pecudum gratia, pecudes hominum, homines ipsi Deorum, quorum excellentissimum opus, mundum contemplari debent et

imitari ; mundus denique Ætheris vel Jovis illius in quem omnis natura, ignibus liquefacta sidereis, aliquando resorbebitur.

SENECA

V

Seneca arguitur a Fabio parum fuisse diligens in philosophia : si Quintilianus his verbis innuit Annæum a secta sua non semel descivisse, neque fuisse Stoicæ institutionis interpretem accuratissimum, veritas cum illo facit. Si quid enim Zeno durius de bestia præceperat, Seneca mollire visus est.

Idcirco bruta ponit non principatu mentis omnino carere, sed eo tanquam abortivo uti. Quemadmodum, ait, illis lingua data est, sed devincta nec in motus varios soluta, ant etiam vox quidem, sed verborum inefficax, ita ipsum principale parum subtile, parum exactum. « Capit ergo visus speciesque rerum quibus ad impetus (ὁρμάς) evocetur, sed turbidas et confusas. » Itaque cum Annæus ipse cupiditates opinionibus assimilet, mutis affingit affectus quorum natura specierum illarum naturæ respondeat : Ita visa confusa et imbecilla motus in bestia concitant acres quidem initio, sed brevius duraturos. Etenim nonne vidisti canum iras vel asperrimas perparvo tempore interjecto cadere, et cum acerrime sævierint, in quietem cito soporemque remitti ? idem apud pueros fieri dixerim. Nihil in eorum intellectum pectusve altius des-

cendit ; lacrimæ citius effusæ vel levissimis rerum momentis abstergentur, molli subsequente risu. Sic feræ facillime mutantur in contrarium et postquam expaverunt, pascuntur, cuniculo illi similes apud Funtanium nostrum celebrato qui, specimen insigne inconsultæ temeritatis, huc et illuc lascivit, nimium heu ! securus recentioris periculi.

De memoria quoque Seneca a suorum præceptis feliciter deflectit, et aliquam eam attribuit animalibus. Cum tempus, inquit, constet præterito, præsenti ac futuro, quod brevissimum est, iis in transcursu datum, præsens. Præteriti rara memoria est, nec unquam revocatur nisi præsentium incursu. Hunc in modum equus reminiscitur viæ quando ad initium ejus admotus est. In stabulo nulla ei viæ quamvis sæpe calcatæ recordatio (12). Venturum autem tempus ad muta non pertinet. Superiora illa satis modeste tribuit Seneca bestiis, sed hæc paulo liberalius; quæ cum sint nonnihil acuta, rem diligentius explanabo.

Inter Epicureos et Stoicos in controversiam venerat qui sit primus animalium impulsus; quem Epicurus contendebat esse voluptatis appetitum. Id contrà respuebat Chrysippus, veritus ne, si natura voluptatem in iis rebus posuisse videretur quæ appetuntur primæ, multa turpia sequerentur, et homo finem istum veluti propositum a natura per fas et nefas expeteret. Voluptatis autem in locum Chrysippus id subjecerat; animal omne simul atque natum sit, ipsum sibi naturâ conciliari et commendari cum ad se conservandum, tum ad suum statum et ea quæ conservantia sunt ejus status diligenda. Alienari autem ab interitu iisque rebus quæ videantur interitum allaturæ. Atqui ut se conservet animal, natura indiget magistra quæ edoceat quid appetendum sit, quid aversandum. A natura autem aptissime bruta institui videmus. Etenim, ait Seneca « quid est quare pavonem gallina non refugiat, cum tanto minorem, et ne notum quidem sibi, accipitrem? Quare pulli felem timeant, canen non timeant? Apparet

illis inesse nocituri scientiam, non experimento collectam. Nam antequam possint experiri, cavent. » Ita naturali pulsa instinctu bestia id agit ut permaneat in conciliatione et caritate sui. Res est in propatulo. Sed Chrysippus hoc novum adjicit, non solum animal omne se sibi commendare, verum etiam illius commendationis et constitutionis suæ conscientiam habere (τῆς συστάσεως συνείδησιν), quod placitum Annæus amplectitur (*r*). Necesse est enim, ait, sensum ejus habeant animalia cui parent et a quo reguntur; (naturalem significat instinctum et ipsam animalis constitutionem). Sensus autem ille, ut infantibus, sic bestiæ non satis dilucidus est. Unde fit ut suam noverit constitutionem quatenus ipsi nostrum animum novimus. Scimus enim probe hunc nostrum animum esse; sed quid sit, ubi sit, qualis, et unde nescimus. Bestia pariter naturam ipsius intelligit, sed, ut bestiam decet, summatim et obscure. — Melius sibi convenientes Scholastici sensitivam animam ab Aristotelis disciplina postquam arripuerant, hujus bestiis conscientiam auferebant. Stoici vero dum quæstionem eam enodant, quomodo temperationem suam intelligat bestia, parum curare videntur quid de principatu animæ edixerint, quem pronuntient nullum in mutis inveniri. Si vero nullus reperitur, qui poterunt vel summatim naturam suam cognoscere? Sed inconstantiam Stoicorum dicere longum est, neque inopportunum de eorum repugnantiis librum Plutarchus edidit.

Tamem id verum apud Stoicos, animal constitutioni suæ parendo perfectum aliquo modo fieri. Nam in nulla rerum institutione non est aliquid extremum et perfectum. Ita, Zeno aiebat, sua statuæ quædam est propria virtus et perfectio; et quemadodum in vite, sic in pecude videmus naturam suo quodam itinere pervenire ad ultimum. Quam autem manca ista perfectio, si ad veram conferatur! Is enim germana perfec-

(*r*) Ad Lucilium Epis. 121.

tione commendatur qui utitur eo quod est in omni rerum natura perfectissimum, ratione. Cui muneri divino voluntas et arbitrium necessario adhærent. Atqui animal naturam suam veluti ducem sequitur, sed coactum et imprudens, unde non modo virtutibus humanis sed etiam vitiis prohibitum est. Cui autem neque bona neque mala propria sunt, id animal inter neutra (ἀδιάφορα) recenseri non absurdum erit, quando illius natura neque per se recta, neque prava aut depravata possit cognominari. Hominis vero prava aut recta vita dicetur, prout convenienter naturæ illam agere curabit aut negliget. Quid sit autem convenienter naturæ vivere alii alio modo interpretabantur. Stoici enim cum naturam et rationem unam esse crederent, eum volebant obsequi naturæ qui rationi obsequeretur. Cynici vero laudem sibi magnam exituram inde putaverant, si mores suos quam proxime moribus animalium assimilarent, quæ cum perverse et corrupte nihil agant, naturæ ipsius nutu et arbitrio regi videntur. Inde caninæ vitæ turpis ista æmulatio, quasi præclarum sapienti foret omnia in se corrigere aut circumcidere quæ ab imitatione quadrupedis abhorreant! At hercle, si ista tibi ratio placet tantopere, quin potius saxum imitaris? id enim bruta etiam naturæ legibus fideliter obtemperando superat. Nam visi sunt canes qui amore domini sese contra naturalem illum a dolore recessum morti objecerint; lapis autem nunquam a natura descivit adeo ut in sublime jactus ad astra migraret. Sed hæc satis, neque Diogeni isti maledicamus qui dum naturam humanam vincere se putat, tantum excedit. Immo, si collibuerit homini acuto, carnem crudam edere experiatur, ne vincatur a suis. Musonium etiam gravissimum alioquin virum, crines parce resecare et barbam ornamentum a natura datum, promittere per me licebit. Omnia hæc enim nulli nisi auctoribus nocent, neque magnum afferunt rebus humanis detrimentum. De Cyrenaicis non item. Hi enim quantum bestias maligne et duriter habent, in iis quæ intellectum pru-

dentiamque spectant, tantum easdem honorifice, ubi de moribus disserunt. Itaque profitentur pecudes, specula illa naturæ, optimas esse vivendi magistras, hominisque vitam ad vitam animalium esse velut ad exemplar componendam. Non tamen eodem quo Cynici proposito illo suo pertinebant. Quid enim sibi vult Cynicus, nisi ut naturam judicio secutus (ut ipsa per vim sequitur bestia), virtutem assequaris? ideo cum intelligeret animalia naturæ necessitatibus neque addere neque recidere quidquam, se iisdem finibus continebat, ita ut superfluas vitæ commoditates abjiceret, et se humanarum opinionum commentis liberaret. Itaque sitim aqua restinguebat, et eam postquam hauserat cava manu.

Quid interim Aristippus? ipse profecto bibit, sed Chioum, neque solum ad satietatem, ut Cambyses ille solebat. Cui enim in animo est non recte et sapienter vivere, sed jucunde, et impulsum naturæ tanquam Deum suum revereri. Similis bestiæ disciplina cui unum id præceptum natura inculcavit, ut se servet et gaudeat. Gaudeamus igitur, ait iste, cumque videat suem se libentius in cœnum ingurgitantem, in voluptates se quoque ingurgitat. Simul voluptatem mentis, quæ sit pura et integra et animi æquitati accommodatissima, minimi facit, adeo ut videatur iste Gryllus quem Plutarchus inducit contra humanæ conditionis bona disputantem, Cyrenaicorum libros impensius lectitasse. Ipse vero Cyrenaicus nullos alios legere curat. Carmina enim et historiæ et cetera istius modi nihil ad vivendi voluptatem conferunt, cumque non appareat bruta, quod Hectorem ignorant, minus vivere suaviter, omni studio liberali nuntium remittit... O qui ludi magistro alapam impegisti quia Homerum non habebat in promptu, quod mali genus isti belluæ inferendum censes? Non illi belle est quas vocet stupidas pecudes imitari? At certe proficit ut, comparatione facta, Diogenes placeat multo magis sobrius in dolio. Quamvis enim vitæ genus instituerit parum urbanum et civile, non omnem operam adhibet ut

hominem ad bestiæ gradum deprimat. Epicureus contra, quasi veritus ne non ex æquo intueamur belluam, nos omni liberare sollicitudine conatur quidnam post mortem eveniat. Invidet enim animalibus suam omnium rerum negligentiam quæ interitum sequantur, cumque nihil unquam feræ de immortalitate animæ cogitaverint, id efficere studet ut, cum de ea reputaveris, fabellam anilem existimes, neque Deos reformides magis quam tigris reformidat. Beatus enim et sapiens demum eris, cum te hac quoque parte pecudum in numerum redegeris.

Haud eadem est Scepticis providendæ nostræ felicitatis cura ; sed alia de causa non minus quam Epicurei hominem elevant. Nam dum humanæ mentis excellentiam impugnant, argumenta omnia eruunt, unde sibi licere putent solertiam bestiarum rationi nostræ adæquare. Tu vis, exempli gratia, humanam Deos induere figuram, quæ sit pulcherrima. Tenes hoc esse verum, subjicit Academicus; ego tantum opinor verisimile. Nihil enim homini pulchrius videtur homine ; sed non omnes terra marique belluæ suo genere maxime delectantur ? an vero putas aquilam aut leonem ullam anteferre figuram suæ ? Non male igitur advertit Epicharmus asinum asino censeri pulcherrimum, et sui suem. nihil enim est absolute et per se pulchrum aut bonum, aut verum, sed alii alio modo rem eamdem judicant (*a*). Ne pronunties igitur id esse amarum, quod idem capellæ dulce mel habetur. Regula rerum non veritas, sed propria unicuique existimatio, instituunt Ænesidemus et Protagoras (ἁπάντων μέτρον ἄνθρωπος). atque si foret homo alia præditus natura, ecquis novit an contraria judicet ? (*æ*) Non vides enim ictericos pallida dicere, et eos qui

(*a*) Cf Sextum Empiricum, adv. mathe, édit. d'Aurélius p. 412 et sq. — Académiq. II, 46, Tennemann I, 263.—Sextus Empiricum, hypoth. Pyrrho I· 29 etc.

(*æ*) Quæ ipsa est sententia Kantii, quid sit *objectivum* et *subjectivum* in nostris notionibus perpendentis.

hyposphagmate laborant ducere sanguinea quæ nobis et forsitan pecudibus alba videntur? Ideo fieri potest ut bestiæ quæ constitutione corporis et elementorum temperamento differant a nobis, etsi contraria nostris sensibus, tamen et ipsæ probabilia sentiant. Cetera eadem fraude Sceptici destruunt, et nihil homini relinquunt quod non in mutis etiam inveniant. Nonnulli tamen memoriam excipiunt, qua sola præstet homo ceteris animalibus, dum potest præterita longe repetere. Plures autem (ut invenitur apud Sextum Empiricum) quæ rationabilia et irrationabilia animalia dicuntur eadem trutina pensitant. Pari enim instructa imaginandi facultate, pari quoque vigent intellectu, utcunque imbecillo, neque veritati assequendæ idoneo. Sic isti rationem, qua nihil est in homine præstantius, abjicere misere student, ut erecta fere ad nostram conditionem bellua, confidentia hominis retundatur. Sed ea castigatio gravior homini, ipsique Deo contumeliosa, hominem scilicet detrudere in feras, perinde quasi mortua corpora vincias cum vivis, et eum tam ducere vilem qui solus inter animantes naturæ ac sui parentem Deum optimum maximum intelligit.

VI.

PHILO.

Quæ præcipui philosophi de anima brutorum obiter et nulla continua disputatione disseruerunt adhuc retulimus. Nunc libellum Philonis excutiemus de hac ipsa quæstione ex professo conscriptum (*a*). Quanquam operis titulo facile in errorem inducaris. Cum enim videatur innuere bruta etiam rationem habere, sententiæ isti Philo fortissime repugnat quam Alexander nepos auctoris tueri solitus erat. Is autem existimabat apud animalia rationis et orationis reperiri sin minus perfectionem, at saltem haud contemnenda principia et semina. Quorum alterum adeo absurdum est, ut omittendum sit; alterum defendit Alexander animose quidem, sed parum ad persuadendum efficaciter. Atque adeo sentis illi nequaquam expedire quod ipse Philo mox confutandam nepotis sententiam explicare susceperit. Nam, quod fieri solet ubi quis adversarium ultro sibi commovet, ejusque argumenta diducit, jejuna quidem et infirma contra Philonem afferuntur. Etenim cum vulgatissima quæque de solertia ferarum produ-

---

(*a*) *Alexander*, sive de eo quod rationem habeant bruta animalia (Tauchnitz, T. VIII des œuvres de Philon).

cit, instinctum et mirificam vim iis a natura datam facile vincit, intellectum multo minus. Tria tamen excepta velim, quæ si protulero bonus veniam dabis. Postquam vidisse se narravit hœdum per funiculum ambulantem et pedum anteriorum auxilio ludentem globulis in aerem jactatis, adjicit hæc : « mirum id mihi visum est, quod cum hæc ageret, in ludi magistrum oculos fixerat, veritus, puto, ne quid delinqueret ; atque simul spectantes respiciebat gauderent an moleste ferrent investigaturus. Confecto autem spectaculo, timore vacuus, sicuti bellator victoria potitus gloriabatur. Quod manifestum erat ex saltu et continua agitatione et oculis lætitiam ac velut hilaritatem risus præ se ferentibus. » Jam vero accipe Græculam elephantorum compotationem. « Cum in theatrum ingressi sunt ordinati, tanquam ex mandato silentium observante turba, primum omnes simul elephantes facie tenus genua flectentes adorarunt Agonothetam. Deinde assurgentes proboscides in sublimi movebant, indicantes salutari a se populum. Postea spectatoribus eos laudantibus, illi quasi mutuam salutationem recipientes, manus suas deorsum demiserunt. Nonnulli vero eorum discubuere illico ; (jam enim parati fuerant lecti ferrei solidissimi, provide quidem, ne immani pondere elephantorum frangerentur) ; reliqui vero velut famuli pro ministerio stabant ante eos, et multa convivio usu venientia obsequiose, et sine mora exhibebant. Neque multo post unus surrexit, veluti satiatus dapibus, præ se ferens ebrii similitudinem, et instar hominis ad cantum tubæ citharæque saltavit. Ceteri interea proboscides movebant, et identidem sibilabant ad tripudium, quasi laude prosequentes. Postquam demum unus lucernam attulit, ea visa, judicantes tempus esse redeundi, consurrexere, necdum omnino ebriorum personas agentes, sed labascendo ac nutando, ita ut ægre pedes movere possent in gressu ; verumtamen vacillabant titubantes vinolentorum more, donec a theatro abierunt. » Tertia narratiuncula pertinet ad affectus. Ut omnia

antiquitus dicta prætercam, ait Alexander, memoriæ mandabo rem sub Antiocho actam. Qui cum armentum aleret elephantorum, præcellenti cuique vigore et fortitudine nomina heroum indiderat, primusque detulerat Ajaci, qui præter omnes fortis et operi deditus conspiciebatur. Cum ergo flumen rex trajiceret cum exercitu, Ajax nuncupatus elephas ad ripam morabatur, transitum timens, ut puto, ob gurgitem. Ceteri vero, subsistente ductore, pone, ut decebat, servabant ordinem. Rex interea, quia maturato opus erat, vocavit elephantorum magistros qui transeunti ante alios pollicerentur splendentes phaleras et elephanti dignitatem primarii. Quæ ubi audiisset Patroclus, se audacter immisit in amnem, quem secuti alii transmiserunt. Itaque promissum honorem assecutus est Ægre id tulit Ajax, adeo ut molestus et agitatus deturbare totum ordinem castrorum voluerit, Telamonis filium referens ob Achillis arma furentem. Siquidem livore plenus et rebellis in itinere, et in castris intolerabilis erat, ut qui dignitate se privatum esse doleret. Ea non sunt stolidæ pecudis, sed potius ejus quod Plinius, re affatim comperta, dixit « animal proximum sensibus humanis. » His autem speciminibus intelligentiæ aut talibus nihil Philo respondet. Facilius existimat ea præterire quam refellere. Si qua autem adversarius propter intolerabilem erga feras benivolentiam prave judicavit, occupat atque in his hæret. Sic in illud sapienter incumbit ut cœcum naturæ impetum a voluntaria sagacitate secernat, quæ nullo discrimine habuerat Alexander. Liquet enim a bestiolis quibusdam ingeniose facta aut provisa in futurnm non esse sapientiæ adscribenda animalis, sed illius providentiæ qui naturam universam suo numine moderatur. Non per se agunt, sed per Deum ; quod ni fieret, solertia homines et prudentia vincerent. Ea igitur mutorum industria quo præstantior excellit, eo majori est argumento ea non ratione dirigi sed carere, et equidem illa velim minus habere ingenii, quo plus intelligentiæ possim

iis impertire. Philo igitur dum Deo restituit quæ sunt Dei recte facit, et optimo cuique philosopho unde placeat habet. Philonis enim ad instar Divus Thomasius, Cartesius, Leibnitzius vere senserunt quod sit fatum in animali esse providentiam in universi mundi parente. Neque male conferas bruta sibi per instinctum consulentia sagittæ quæ non per se scopum attingit, sed ejus gratia qui voluit metam speculatus assequi. Ita nullum sibi proponit finem aranea telam intexens ; id enim agit quemadmodum volant aves, aquatilia natant, terrestria gradiuntur, neque dicendum eam texere ut muscas venetur, sed venari quia texuit, et texuit jubente natura aut potius Deo, qui vel minimis et prima specie vilissimis mortis effugia et instrumenta vitæ concessit. Philo suam de naturali instinctu sententiam feliciter assumpsit a Stoicis. Ubi vero animalium affectus assimilat iis quæ fiunt in arboribus, ecquis eum approbet? Chrysippus, ut opinor, sed Jove Chrysippus non judicabit æquo. Mellificat apis vix operis conscia, fateor, neque ipsius arbitrio obsecuta, sed potius necessitati; ubi vero animosa bestiola facit in hostem impetum et vitam cum aculeo ponit in vulnere, nonne id per se et volens et proprio motu facit? an ea machina est commota exstrinsecus sine cupiditate et sine sensu? Machinam dico subjicit noster, aut si tu mavis, arborem et plantam. « Hæ enim etsi nullam habeant animæ partem, tamen familiaritatis abalienationisque non minorem præferunt significationem. Moventur et crescunt, atque tanquam osculo dilectionis salutando amplectuntur se invicem, ut oliva hederam et ulmum vitis. Aliquas tamen non solum aversatur vitis, sed etiam evitat, manifeste ostendens in adspectu suo quod in fugam se verteret si pedes haberet .. »

Ista jam non Porticum sed Orientem redolent, neque sunt philosophantis sed canentis. (13) Nam si talia commentus eris, non tam belluæ adimes quam plantæ adjicies affectum, vatis æmulus qui novas frondes admirantem arborem fingit, aut

quercum lœta propagine et pullulanti circa pedes sobole gaudentem. Poetice vero lascivienti laus datur Virgilio, Philoni ne venia quidem.

Posteaquam affectus animalium variis plantarum motibus assimilavit Philo, par est eum adjicere, quidquid agant, etiamsi fiat ad similitudinem hominis, sine ullo peragi intellectu. Ita cum duo sint in bestiis, instinctus naturæ et intellectus, unum tantummodo Philo admittit. Curta profecto sententia, qualis est, auctore Tullio, cetera prætermittentium, dum eligant aliquid quod amplexentur unice. Unice autem dum Philo impulsum naturæ feræ attribuit, Cartesio placeat licet, plerisque philosophis minime. Quanquam id Philo contra se instituit. Nam alio loco (c) sensit diversa, cum edocuit quomodo res animo percipiantur. Tria autem discernit, intellectum (νοῦν), sensum (αἴσθησις) et sensibile (αἰσθητόν). Intellectum et sensibile extrema esse dicit, medium vero sensum, eo fungentem munere ut mentem de rebus ad ipsum admotis veluti moneat. Hæc a Platone et Aristotele Philo desumpsit opportune. Sed qui faciet his congruere suam de animalibus disputationem ? quoniam enim instituit res intellectu percipi, et intellectum omnem brutis adimit, continuone negabit, ne se ipse deserat, percipere quidquam animalia, ut negaverunt Stoici ? At hæc ipsa sententia a Philone confutatur. Nam, oblitus sui, rerum aliquam perceptionem animali concedit, cum paulo ante Alexandro idem et iisdem verbis defensitanti succensisset. « Etsi, inquit, detur feræ perceptio aliqua, obscura tamen est, quemadmodum in pueris comprehensio scientiæ incerta est et inconstans, quod eorum intellectus adhuc imperfectus sit. » Aurea dicta, mehercle, sed quibus vellem auctor ipse non contradixisset in reliqua sua disputatione.

Brutorum animam non solum in libello de animalibus

(c) Cf. les Allégories de la loi.

Philo tractavit, sed aliis étiam locis, et præsertim cum *de opificio mundi* disseruit, sacrorum codicum interpres. In his autem cum reperiat animam ferarum uno sanguine constare, et pisces sanguine ut ita dicam carentes ante cetera animalia fuisse creatos, diversas mutorum animas hoc ordine digerit. Animam piscium ducit inertissimam et maxime rudem, perfectissimam vero hominis. Inter utrasque media volucribus et terrestribus animalibus obtigit. Hæc enim sensus habet acutiores quam anima piscibus indita, hebetiores tamen Quam humana, et ad solam corporis conservationem iis insita videtur, sicuti vulgo salem carnibus inspergunt ne putrescant. Mentem vero eximiam creator homini donavit, quæ sit tanquam anima animæ, et pupillæ in oculo vicem adimpleat. Bruta vero imaginandi vim tantum habent et impetum, qui sit quasi germanus (ἀδελφός) imaginationis, et ab auctore vis contentionis vel ad rem expetitam tendendi appelletur (δύναμις τονική). Intelligunt vero neutiquam, ob eamque causam neque bona neque mala sunt. Mens enim et ratio vitii ac virtutis domicilium.

Quorsum autem novissima illa de bestiis memoranda putavimus? ut intelligatur quam variis e fontibus hauserit Philo. Ea enim tempestate natus cum Judæi Christianive philosophi e disciplinarum veterum excellentissima congerie novum aliquod doctrinæ corpus educere studebant, quæ posset cum philosophia sacra inire societatem et illi magnis opibus suis auxiliari, Philo pro virili parte voluit fœdus utilissimum adjuvare. Ideo se minus, ut ipse dicit, doctorem profitebatur quam interpretem aliorum, et quæ probanda viderentur undequaque sibi assumebat. Itaque de quæstione brutorum (ne a proposito discedamus), a Platone in Zenonem, a sacris codicibus in Aristotelem delabitur, haud unius addictus jurare in verba magistri. Id quidem ipsum laudabile, sed ita si res a pluribus acceptas in unum miscueris adeo apte ut cohæreant, neve tantum jaceant ap-

posita. Qua laude caret Philonis incerta et inconstans disciplina. Nam, ut vidimus, plus æquo fluctuat, neque quidquam habet fixum et immotum, aut si quid fortiter asserit, male confirmat. Non enim modo argumentis Alexandri parum presse respondet, sed eo ipso innititur quod cadit in controversiam. Cum enim negaverit animalia veras amicitias aut inimicitias suscipere, aut humanis aliis moveri affectibus, prætexit stoice quod ratione atque etiam intellectu carent, quod ipsum est demonstrandam. Quin potius ratione et via, certis quibusdam fundatus præceptis, rem persequebatur! sed nihil tale. E diversis disciplinis nonnulla decerpit quæ, veluti membra distracta e variis corporibus, summam efficiunt minime probabilem. Inde libellus Philonis, quamvis ad explorandam brutorum animam proprie scriptus, nihil penitus ea de re perspectum aut clarius editum habet, et parum obtinet auctoritatis.

tarchus, contra Stoicos, quatuor contendit argumentis.

I. Omne animal instructum sentiendi facultate, et intelligendi capax est. Natura enim quæ nihil unquam sine causa et consilio peragit, nulla mente alia sensus donavit bestiæ nisi ut eorum auxilio intelligat quæ sibi appetenda fugiendave sint. Quod ni fieret, sentire foret illi prorsus inutile, neque posset incolumitatem suam vel minimum temporis momentum tueri. Unde patet oculos, nares, ceterosque sensus non modo sentiendi esse instrumenta, sed etiam, ut necesse erat intelligendi. Quibus semel propositis, Plutarchus ultra progressus, affirmat nequaquam posse fieri ut sensus ab intelligendo sejunctus moveatur. Dubiam hanc opinionem a Stratone physico desumptam, ut est ea quæstio magni ponderis, excutiam diligenter.

Strato physicus, recentiorum Peripateticorum princeps, quanquam Theophrasti auditor, ab Aristotelis disciplina plurimum dissedit, adeo pleraque instituit nova. Etenim cum Lycei auctor edixisset nihil esse in intellectu quod non prius fuerit in sensu (15), sententiam invertit Strato sic immutatam : « Nihil est in sensu quod non simul sit in intellectu. » Ea de re librum scripserat longe minus Peripateticos referentem, ut opinor, quam Stoicos. Ad suum enim illud propositum devenerat, rationem Chrysippi de principatu animæ amplexus. Ponebant autem Stoici regiam illam facultatem (τὸ ἡγεμονικόν) ceteras animi partes in se continere, ita ut ab ea sensus, affectus, judicia defluerent. Unde physicus noster efficiebat quoties sentiat bestia, toties principatum animi (qui quidem sit intelligens) commoveri (*n*), Vide autem quam diversa Diogenes et Strato ab eadem illa de principatu disciplina deducant, prout unum alterumve illius extremum persequuntur. Postquam enim ambo consenserunt in eo, per intellectum

---

(*n*) Cf. Ritter. hist. philos. antiq. III, 340; Sextum Empiricus, adv. Mathe. VII, p. 350 ; Plutarchus, de Placitis Philosoph. passim.

(id est τὸ ἡγεμονικόν) sentire animalia, Diogenes ita concludit : « bestia non intelligit, ergo non sentit. » Strato contra : « Bestia sentit, ergo intelligit, et intellectus sensum nunquam non comitatur (16). » Cui placito suffragatus Plutarchus, tamen nullam isti de principatu rationi tribuit auctoritatem. Ideo cum non possit sententiæ suæ idem quod Strato subdere fundamentum, non jam argumentis Stoicis, ut eam approbet, sed exemplis utitur. Sæpius enim, ait, dum oculis scriptum aliquid percurrimus, adstantium colloquia, quamvis nostras verberent aures, mentem effugiunt intentam ad alia. Mens vero posterius redit ad ea quæ dicta sunt, repetit, insequitur et singula quæque relegens occupat. Et paulo infra : cum inter epulas egregium carmen recitatum laudaretur, interrogatus rex Cleomenes an illud probatissimum judicaret, « ipsi videritis, » respondit ; « mihi enim mens peregre erat in Peloponeso. »

Verumtamem illa exempla minime confirmant veram esse Stratonis et Plutarchi sententiam. Ex his enim neutiquam efficitur sensum fieri non posse sine intellectu, sed potius rerum intelligentiam abesse, quamdiu pars ea corporis ubi sensus collocatus est sola impellitur. Nam tum demum vere et absolute percipimus, ubi mens ipsa per sensus velut exploratores et nuntios admonetur. Itaque Strato non ad oculos, aut nares aut aliam quamlibet corporis partem sensum referebat, ut refert Lucretius, Epicuro discipulus fidelis, sed ad ipsum animum qui, per ea foramina, externa quæque prospicit et se exercet. Inde dictum ab Epicharmo poeta : « Mens videt, mens audit ; cetera cœca surdaque sunt ; » qui versus verissimus nobis habebitur, si modo adjeceris *distincte* videre et audire mentem. Sensus enim sibi uni relictus, ipse quoque videt, sed res in se recipit non satis expressas et dilucidas. Ideo de infantulis dictum : vident non cernunt. Illud autem videre, quamvis sine perceptione (ἐπαίσθησις) vel intellectu, sensus est. Ne igitur committas ut pro-

fitearis sensum nullum posse effici, nisi adsit mens vigilans et quasi acriter excitata. Sæpius enim sentimus propemodum inscientes, neque ullo pacto mentem ad nostrum hunc sensum advertentes. Haud aliter imprudens ambulas, spontaneo quodam instinctu, tanquam machina per se mota, sine ulla consciæ voluntatis admistione. Quemadmodum autem multa peragis hand coacta profecto, sed tamen minus deliberata, ita sæpe sentimus aliud agentes, atque eo confusius et obscurius quo mens est avocata magis a re sensum efficiente.

Potest igitur sine intellectu sensus existere, et exempla a Plutarcho assumpta rem adeo non refellunt, ut contra corroborent. Inducit enim hominem qui propter legendi studium ab intelligendis adstantium sermonibus inhibetur. Atqui, si modo vera docet Plutarchus, cum absit ab intelligendo noster, a sentiendo quoque absit necesse est. Sensus autêm fit procul dubio, quandoquidem audita confabulantium verba eademque prius non intellecta, animus memoria persequi potest et relegere secum et interpretari. Ideo patet exemplum istud non destinata ferire, telum imbelle sine ictu, et rem confirmare unam, nihil scilicet, dum mens peregrinatur, intelligi.

Atenim, inquies, sæpius evenit ut, absente attentione animi, sensus quoque absit. Sic vocalis horologii sonus graviter meditantem præterit, neque aliam ob causam Archimedes defixus cogitatione in suis disquisitionibus non sensit militem percussorem futurum.— Equidem fateor plures accidere casus ubi præoccupatæ mentis intentio impedit ne quædam sensu percipiantur ; neque miror Cleomenem recitatum opus non attendisse, cum incensus prælio miles adactum vulnus nonnunquam ignoret. Vel abscissa dextra, Lucretius ait mens tamen atque hominis vis

Mobilitate mali non quit sentire dolorem;
Et simul in pugnæ studio quod dedita mens est,
Corpore cum reliquo pugnam cædesque petessit.

(DE RER. NAT. III, 646.)

Animus enim certa quadam re vehementissime tensus, non amplius erigitur ad externa quam si somno solutus foret, et idem experitur quod nervus qui arctissimo ligamento strictus, medico manum admovente, non dolet. Ideo Archimedes vocem hostis, miles vulnus non sentit, non propter intellectus defectum, sed ob nimiam animorum contentiorem, unde sentiendi vis cessat interrupta. Aliud autem sentire per animum solum, aliud per animum adjutum intellectu. Hic enim sensus distinctus est et omnino sui conscius; ille confusus et vix sui compos, ut cum somno incipimus detineri. Attende vero quid in somno fiat. Prior intellectus velut obdormiscit, posterior animus ipse, quo tandem sopito, omnis jam sensus tollitur. Sunt ideo tanquam duo sentiendi gradus et modi, prout animus suis unius opibus permissus est, ant intellectum adjutorem assumpsit. Cum sentis obscure, sentis per animum; cum liquide et lucide, per intellectum. Atqui omnia animantia sensu prædita sunt, propter id ipsum quod vigent animo. Sensu autem instructa, non sunt necessario intelligentia, quia intellectus non societate necessaria animo conjunctus est. Ideo si placet Plutarcho omnia utcunque animalia inter sentiendum intelligere, confirmet ea semper sentire non modo turbata et permixta, per animum, sed etiam definita claraque per intellectum. Id autem nullo modo comprobavit, neque potuisset hercle convincere. Quantum enim intersit sensum inter et mentem ecquis non videt? Una enim voluntati nostræ aliquantum est obnoxia, alter vero neutiquam. Argumento est in lepida fabula Molieri Henrietta illa

sapiens et amabilis quæ, dum Trissotinus putida nescio quæ jactat ambitiosus, verborum quidem sonum non potest non sensu percipere, negligit autem de industria sententias et ignorat, ut quæ ineptas delicias docti ingeniosum mentientis oderit. Haud aliam ob causam Seneca discordissimos inter balnei strepitus se sibi totum vindicabat. Intellectum enim ab isto vocum importuno concursu ad studia revocabat adeo ut, aures etiam fremitu diverso circumstrepente, silentium in mente constanti factum videretur. Quid multa? Strato ipse nostram hanc causam defendet. Etenim demonstraturus sentiendi vim et omnes affectus, ut fortitudinem, in principatu animi juxta residere, sententiam suam e cruciatibus colligere solebat, sic ferme disputans: (a) « tormenta meticulosi plus æquo reformidant, fortes vero subeunt intrepidi. Unde apparet eos non parem sentire dolorem; neque reipsa sentiunt, quia principatus animi impar obtigit utrisque. » Cui nos contradicemus: « Te ipse impugnas, Strato. Istud enim exemplum sentientem animum ab animo intelligente ac volente plane disjungit. Eadem enim cum sit apud utrumque sentiendi facultas, par inde cruciatus existit, sed longe dispar est fortitudo. Is quem vides invictum tormentis sentit ea quidem, quia homo natus est; sed tolerat sine genitu, quia vir. Dolet mehercle, quia non potest quin doleat, et se dolere fatetur, ficto illo sapiente candidior negante se in tauro Phalaridis laborare quidquam; verum dolorem contemnit, quia vult. Vis igitur sentiendi a tolerandi vi et patientia, id est ab animo intelligente magnopere discrepat: quoquo te vertas, eadem se tibi offert dissimilitudo.

Male igitur sibi consuluit Plutarchus Stratonis amplexus opinionem de confundendo sensu et intellectu. Neque profecto miror si ab ea confirmanda longe abest: ecquis enim, vel disertissimus, efficere valeat quæ sint falsa vera fieri?

(a) Vide Galenum (de Historia Philosophica).

II. — Cum Plutarchus imprimis contra Stoicos patrocinium bestiæ susceperit, ab his ipsis argumenta sua petit, quo manifestius appareat eos de intellectu brutorum plane aberasse, Illi etenim ita definiunt *propositum*, *apparatum*, *memoriam*, ut ab intellectu proficisci dicantur, neque interea volunt animalia intelligere, quasi ea nihil unquam sibi proponant, neque agere apparent, neque recordentur. Aliam igitur, Stoice, propositi, memoriæ definitionem afferas, vel fatearis propositi et memoriæ capacem bestiam intelligere. Eadem argumentandi ratio de cupiditatibus. Eas enim postquam Stoici volunt falsas esse opiniones,numquid merito denegent brutis opinandi facultatem ? Nam convenit sanos inter omnes bruta cupiditatibus affici, et si forte desipienti cuipiam libuerit edicere non irasci leonem, sed velut irasci, ae velut metuere cervam, quid jam faceto isti philosopho restat, nisi ut animalia veluti videre, veluti audire, denique non reipsa vivere sed veluti vivere proclamet ?

III. — Quid ? si malignitatem Stoicorum erga feras usitati sermonis consuetudo refutat ? quemadmodam enim id unum vocamus cœcum ant blæsum quod natura oculorum et linguæ ministerio ad videndum et eloquendum comparaverat, ita dum bestias delirare et furere dicimus, hoc ipso profitemur iis intelligendi impertitam esse copiam. Quid enim rabies illa nisi intellectus perturbatio ? Quæ quidem tanta est, ut judicandi, ratiocinandi et recordandi vim amittant, ut fit in canibus qui furore exagitati vel carissimos jam non agnoscant, et obvium quemque morsu petant insanientes. Constat igitur eos, si propter rabiem mente excidunt, mentem aliquam natura obtinuisse. Adde quod aliud solertius, aliud docilius inter muta nuncupas, qui sermo plane foret insulsus nisi intelligentia iis concederetur. Nulli enim unquam venit in mentem arborem arbore dicere sagaciorem, ut canem ove, neque injuria. Nullus enim inest plantis intellectus, animalibus autem prout

Discite justitiam moniti....

Ista quidem parum sapientia, neque mediocriter admiror quod gravissimus philosophus, Leibnitzius, Mahumetanam superstitionem referens de Paradiso mutorum, Deum existimaverit aliquam debere illis in altera vita remunerationem (17) Fera enim, ut ipse homo, qualis a Pascalio fingitur, naturalibus caret principiis; neque novit quæ sint per se bona aut mala. Cum vero intellectu non indigeat, disciplinam et institutionem recipit. Inde fit ut usus et experientia sæpius apud eam magnopere valeat. Puta enim duos canes furtum una committere, et alterutrum ab improviso teste fuste cædi. Canis integer apprime rem intelligit, neque se rapinæ ancipiti conscium alias adjunget. Natura enim illi si minus æquitatis notitiam, at certe conservationis et utilitatis suæ sensum ingenuit, ideoque bona ducit quæ expediunt, mala quæ nocent, ejusque tota virtus in eo versatur ut absit a *malo;* et aberit primo legibus ab homine datis obsecutus, quamvis legum earum causam aut æquitatem minime dispiciat : sic jubet, sit pro ratione voluntas... deinde utilitati suæ consulens, quæ summa lex apud pecudes et Helvetii discipulos locum virtutis obtinet.

Quod vere bruta Deum ignorant(18) non jam admirandum. Ea enin notio boni et virtutis scientiæ conjunctissima est, et illa re (non ausim dicere solum, ut Lactantius) (19) sed potissimum feræ ab homine distant. Pessime vero ratiocinetur, ait Plutarchus, si quis ex ea boni et Dei ignorantia concludat nullum inesse animalibus intellectum. Intellectus enim humani excellentia bestiæ intellectum quantumvis inferiorem non abolet, quemadmodum homo ipse validus et agilis permanet, quamvis feræ quædam eum vigore et pernicitate superent. Absurdum igitur, quia belluam intellectu vincis, stupidam eam dicere. Vox enim ista valeat idem quam si dicas Iroquotas eloqui nescire, propterea quod Gallico sermone

non utantur. Barbaris istis hominibus sua est vernacula lingua, sicuti bestiis proprius quidam et gentilis intellectus.

Non modo sua virtutis inopia bestiæ objicitur a Stoicis, ne intellectu prædita dicatur, verum etiam id quod, si mentis est particeps, perinique facimus, animal nostri generis, nostræque naturæ occidendo. Itaque ne in illud injuriæ crimen incurramus, animalia Zeno intellectu carere pronuntiat. Quod argumentum equidem æstimo tanti quanti Cartesianum illud: « Si non machina canis est, canis anima viget immortali. Immortalem autem animam attribuere isti bestiæ mihi odiosum. Ergo machina mera canis... » His Cartesius adjicit : « opinio mea non tam crudelis est animalibus quam hominibus amica, cum eos omni suspicione sceleris liberet, dum bruta comedunt occiduntve. (*a*) Cartesio simul et Stoicis Plutarchus respondebit malle se, si opus foret, nonnihil sceleratum et injustum hominem habere, quam animalia minime intelligentia. Sed ad neutrum adigeris. Nam interimi bestias non hæc mihi sævitia aut crudelitas esse videtur, sed potius necessitas conditionis belluino generi attributæ, et malum naturale. Sic nosmetipsi, quorum gratia creatus esse mundus dicitur, (*c*) tum incendiis et vi fluminum supra ripas excedentium, tum etiam terræ motibus et montis ignovomi exundanti proluvie oprimimur. Ideo quoties erumpens e nube fulmen tactum hominem exanimat, non magis est ulli locus indignandi quam si bestiola pedibus ambulantis obteratur. Natura enim ea est quam Empedocles et Heraclitus inimicam et atrocem esse merito querantur, neque ad proposita sua nisi per vim et malum pervenire. Quippe quæ omnibus animantibus æqua parens, cura et veluti caritate simili videatur feras armis adversus hominem, hominem

---

(*a*) Cf. Cousin, 10e vol. p. 190, 208, et Metaphy. de Descartes, édition Gruyer, p. 125, 129.

(*c*) « Ancienne maxime assez décriée » dit Leibnitz, Théod. p. 134.

opibus contra feras instruxisse. Eadem dixit leoni : hominem vora unde pascaris; homini : leonem ferro, igne et ingenii tui artibus insequere. Quin etiam inanimata ipsa ab inimicorum impetu defendit, ut apparet in baccis nonnullis arborum et, in illo præcipue frumento, quæ seges (ait Tullius) aristarum vallo contra morsus minutorum avium munita est. Hæc autem ipsa munimenta bello et vi naturam repleri indicant et vitam unius ex alterius interitu nasci. Unde dictum a vetere philosopho : « Bellum rerum omnium pater ; » (πόλεμος ἁπάντων πατήρ). Quo minus indignemur hominem ita fuisse a natura comparatum ut propter vitæ necessitatem existeret in feras Mortis Minister (Κήρ Θανάτοιο) Parendum igitur legi naturæ, et bestiis utendum. Nulla hæc est injuria, quamvis intelligant.

Jam disquisitionem nostram a disputatione ad exempla traducamus, cujus rei Plutarchus nobis est auctor. Is enim non solum argumenta pro bestiarum intellectu, sed etiam exempla multa protulit. Plura ex iis, non commentitia sed vera, veram quoque sagacitatem mutis inesse confirmant, ut illa prudentia elephantorum, cum flumina tranare parant. Cui inter eos minima est statura, primus amni se committit, ceteris ripæ immorantibus, donec transmissus explorator ad alteram oram gregi fidem faciat posse sine periculo transiri. Referamne mulum quem Thales versutia facile vicit, lana et spongiis eum pro sale onerans, ut sua vafro astutia trajicienti fluvium in castigationem et monitum verteretur ? non minus admirabilis canis ille interfectores domini sui procursu et allatratu, inter militum decursum, Pyrrho regi denuntians ; aut ille templi custos, furem sacrilegum persecutus sine intermissione, velut impios ipsæ Furiarum canes persequuntur. Quid de solertia et machinatione Pinnæ dicam ? « Pinna duabus grandibus patula conchis cum parva Squilla (Pinnothera) quasi societatem coit comparandi cibi. Itaque cum pisciculi parvi in concham hiantem innataverint, tum admo-

nita Squillæ Pinna morsu comprimit conchas. Sic dissimilimis bestiolis communiter cibus quæritur. (r) » Quæ res est a recentioribus ipsis plane comperta. Dum vero bestiarum ingenia memorat Plutarchus, in eo peccat interdum, quod instinctum naturæ et intellectum nullo discrimine habet. Atqui plurimum inter se discrepant et præ se ferunt propria quædam et peculiaria quibus uterque facile cognoscatur.

Omnem rerum usum et experientiam instinctus antecedit. Instituta nascuntur animalia, ut ea decebat quæ cum brevissima vitæ usura, tum etiam societatis et auxilii mutui penuria brevi exstincta forent, nisi parens ipsa docuisset quid sit semel natis agendum, conservandi sui et generis propagandi gratia :

Cornua nata prius vitulo quam frontibus exstent,
Illis iratus petit atque infensus inurget.
At catuli pantherarum, scymnique leonum
Unguibus ac pedibus jam tum morsuque repugnant,
Vix etiam cum sunt dentes unguesque creati :
Sentit enim vim quisque suam quam possit abuti.
(DE RER NAT. V, 1002

Inde fit etiam ut unumquodque animantium certum aliquod ac sibi proprium appetat domicilium, id usque persequens ad quod sponte naturæ et ingenito motu fertur : «Si in unum idemque septum (vetus ait philosophus) concludantur homines, aquilæ, columbæ, cycni, accipitres, hirundines, passeres, muscæ, serpentes, leones, pardales, lupi, canes, lepores, boves, oves, nec non inusitata quædam animalia ut phocæ, hydri, testudines... et omnes illi uno momento dimittantur : homines fora petent ac domos ; aquilæ ætherem sibi familiarem ; columbæ proximum aerem ; accipitres superiorem ; hirundines, hominum domicilia ; passeres, arbores frugiferas ; muscæ terram ipsam, eatenus ab illa remotæ quatenus in homines ad odorem avolare ; leones ac pardales,

---

(r) De nat. Deor. II, 48 ; de finibus III, 19.

montes; lupi, solitudines; canes, hominum vestigia; lepores, arbusta; boves, prata ac stabula; oves, pascua; serpentes, cavernas; phocæ cum similibus, profundos fluvios, ne (ut testudines) campestrem terram vel cognatam aquam desiderent; unoquoque ad suam regionem, interni judicii ductu, tendente »(α).

Præterea lex ea est naturalis instinctus, ut per eum bestiæ conficiant opera non rudia aut inchoata, sicut fere homines, cum ad aliquid primum exercentur, sed perfecta et omnibus absoluta numeris. Sic apes vel in primis favis exstruendis artem mirificam exhibent, neque majores natu calliditate juniorum examina superant; omnes enim et omni ætate eodem mellificant modo, Principe illo viro feliciores cui numquam contigerit horologia duo ita fabricari, ut omnino concinerent. Quid quod instinctus ab omni judicio et reputatione abhorret? Etenim videre fuit canes Terra Nova ortos qui, propter consuetudinem suam in aqua demersos ad ripam retrahendi, vel sine periculo natantes adorirentur, non jam salutari sed valde importuna dentium appetitione. Non secus apis (ut ad bestiolam redeamus nimiis laudibus elatam), si consilio et sua prudentia succum delibet e floribus, ab opere desistat, copia mellis ipsi nutriendæ sufficiente semel elaborata. Sed longe secus est. Naturæ obediens, neque sui juris, favos usque replet indefessa, neque laboris eam unquam piget, quamvis expertam se non sibi sed aliis mellificare, usque adeo cœca et coacta liquori suo conficiendo incumbit. Verum imprudenti prudens adsistit homo, et inconsultæ bestiolæ consulit. Unde præceptum a Palladio ferias apibus impingendas: Si enim floribus annus exuberat, totæ in mellificio de prole nihil cogitant. Itaque ne populus immodico labore confectus extinguatur, totius gentis exitio, ubi nimiam mellis abundantiam videris et florum grandi et con-

---

(α) Stobei Eclogæ I, p. 145, et Apuleius de Mundo.

tinua messe defluere, ternis diebus interjectis, clauso foramine, præcludas exitum opificibus improbis : ita cupidinem amoris pariente otio, ad generandam sabolem conferentur.

Instinctûs illa temeritas in iis etiam apparet quæpud bestiam affectibus humanis proxima videntur. Sic interdum partus caritas et stultitia in feris conjunctissimæ sunt. Asinabus, auctore Plinio, maximus in catulos amor : per ignes etiam ad fœtus tendunt. Cum vero aquas vehementissime oderint, eædem, si rivus minimus intersit, horrent ita ut pedes omnino caveant tingere, maternæ jam oblitæ pietatis. Unde hoc nisi quod progeniem cœco impetu diligunt, nulla intellectus accessione ? De simiis item. Quarum generi præcipua erga fœtum adfectio : « Gestant catulos quæ mansuefactæ intra domos peperere, omnibus demonstrant tractarique gaudent, gratulationem intelligentibus similes ; (illa ad similitudinem affectus humani. Hæc vero ad inconsideratæ bestiæ naturam) : « Itaque magna ex parte complectendo necant. » Cum gallina exclusit anatoria ova sibi per fraudem supposita, videtque anaticulas in aquam se impavide immittentes, trepidat cum singultu mater anxia sed parum intelligens, ut quæ minus advertat non suam hanc esse, sed alienigenam ac dolo velut insitam progeniem. Quin etiam ova cretacea impigræ matri subjiciuntur, eodem ferme modo quo lapides pro infantibus Saturno apponebantur, Deo helluoni et minus emunctæ naris. His tamen gallina incubat insipiens, sed sine fructu , perinde tanquam defosso avarus auro incubat ; quasi inde possit illi vera enasci et efflorescere felicitas. Gallinam tamen fraus aliena, avarum sua pravitas decipit, ita ut unus ratione humana male utatur, altera careat. Caret autem illius Dei consilio qui cum noluerit homines et muta eodem numero et loco habere, aliis majorem intellectum, aliis instinctum acriorem donavit, rebus ita temperatis ut, quantum detrahitur ab instinctu, tantum adjiciatur intellectui, ac rursum instinctus pro mentis imbecillitate invalescat.

Qualis vero imtellectus est, et quibus potissimum notis discernitur ? Ea re imprimis ab instinctu discr… t, quod cum animalia naturæ vi agentia eadem semper et eodem modo, et sine consilio exsequantur, bestiæ vere intelligentes suos actus variant, immutant, prout res et tempus postulaverit, et ad sua proposita diversis artibus pervenire noverunt. Ideo castor in exstruendo domicilio industriam, non intelligentiam exhibet. Verum enimvero si suam artem vel paululum inflectat aut amplificet, fatendum foret hunc geometriæ scientiam innatam habere, more Socratico ; at longe aliud est, dumque nihil unquam diverso vel pravo modo fabricatur, quanto se declarat inferiorem cane peccante quidem sæpius inter venationem, sed varios indagandi dolos opportunitati accommodante ! Struthiocameli in quibusdam apricis regionibus ova calenti arenæ paulum immersa relinquunt, in aliis minus calidis per noctem incubant ne frigore lædantur. In Guyana solent certæ quædam aves summis arborum ramis suspendere nidos, quo certius serpentes effugiant ; eædem, mutata regione, ab instituto suo recedunt, communi more nidificantes. Unde patet intellectum una cum instinctu in animalibus posse reperiri. Immo per intellectum unum multa emendari se et mansuefieri patiuntur. Id autem discriminis interest quod homo se ipse corrigit. animal vero non nisi hominis auxilio corrigitur. Itaque potuit Socrates insita sibi vitia ratione dejicere, ita ut Zopyrus mendacii foret manifestus. Bestiæ autem per nos a sua naturali vita ad humaniorem traducuntur, et eo facilius quo major iis inest sagacitas et humanæ mentis particula. Inde tot mirabilia a domitis et eruditis animalibus gesta quæ Plutarchus copiose memorativ. Cum vero non tam intelligant feræ ut morum suorum eas tædeat aut possint naturæ æstimare excellentiam, ne primadata occasione, in suum ingenium relabuntur, ut illa feles quam Funtanius convertit in feminam. Consuetudo ut aiunt altera natura ; verum id de homine, de bestiis falsum. Eorum enim

natura potest inflecti et coerceri, nunquam vero prorsus abo-letur. Ducis, tragicus auctor, narrat se die quadam in pago vidisse hominem qui canes agere tragædias haud inepte doctos circumduceret. Fabulam cum Iphigenia inscriptam forte agerent, Agamemnone molosso, catello ejus filia, Ulisse, Achille, Chalchante stantibus in scena. unus e spectantibus frustum haud mediocre pulli rite fricti et commodum redolentis odorem in pulpita projecit. Mox personnarum suarum immemores ruere canes in prædam. Calchas a rebus divinis ad indolem geminam revocatus partem sibi prædæ morsu vindicat. Iphigenia rursus, nonjam pudica virgo, sponsum Achillem ab arripienda carne infesto rictu prohibet. Quid plura ? histriones inusitati omnia brevi conturbavere per scenam, neque jam aliena pelle induti, ex heroibus canes iterum facti sunt :

Natnram expellas furca, temen usque recurret (a).

Peracta illa intellectus ab instinctu separatione, jam habes quid sit de pluribus exemplis Plutarchi judicandum. Is enim credere auctoribus qui animalium ingenia prodidere, quam res penitus inspicere maluit. Cæterum id est non unius Plutarchi sed veterum plerorumque crimen. Cum enim res via et ratione persequi aut ad veri normam diligentius redigere, ut criticos et philosophos decet, sæpe negligant, creduli alioquin et miraculorum amantiores, ficta voluptatis causa pro rerum evidentia non semel arripuerunt. Ita vel optimas interdum causas in discrimen adduxere, nedum commendarent, ut videre fuit in Etymologia, quæ etsi debuerat in dignitatem doctrinæ legitimæ evehi, pars tamen divinationis apud eos propemodum exstitit. De animalium solertia item, neque mediocrem componas libellum, si velis fabulas omnes de mutorum industria colligere, veluti Lucianus, bonum scriptorem rerum instituens, enumeravit quidquid Græ-

(a) Cf. Lucien, le pêcheur ou les ressucités.

cia mendax ausa est in historia. Theophrasti quoddam opus animalia non invidere demonstrat, quo in opere philosophus opinionem memorat credentiam propter invidiam lacertum suam comedere pellem, præsentissimum morbi comitialis remedium; et cervum in anfractibus sylvarum maxime inviis deponere cornua, quibus homo possit vim veneni repellere. Sed hæc vulgi et imperitorum. Quid vero de Aristotele sentiendum, viro non levi tamen, qui memorat equum adstrictum incesto, mortem ipsum sibi, Œdipodem alterum, conscivisse (*b*).

Plinii (nedum Æliani) fabellas plus quam aniles referre supervacuum: locus unus sufficiet ubi dicit aquilam infensam esse trochilo, quoniam (si credimus) pusillus iste nomen usurpavit Reguli. Plutarchus autem haud multo sapientior. Cum enim libellum de animalium industria in duas partes diviserit, una quidem gravis et seria philosophicam disputationem contra Stoicos continet, altera vero geminas orationes rhetoricas, quibus scholastico more lascivientes Aristotimus terrestria, Phædimus aquatilia animalia defendunt. Ita patronus uterque, propter clientium amorem, dicenda tacenda jactitat, ea de re præsertim anxius quo modo suas extollat partes, et premat adversas. Ubi vero peractis defensionibus dijudicanda lis est, arbiter causæ Soclarus (rem tantam, opinor, dirimere veritus), gratissimum hoc Plutarcho concludit: « Quoniam diverso itinere ad finem eumdem perveneritis, animalium nempe purgationem, si quis ea conferat in unum quæ alter adversus alterum attulistis, inde possit eos qui bestias omni intelligentia defraudant feliciter impugnare. » Non tam feliciter quam putas. Qui nimis probat, parum probat, et sæpe reo vel innocenti nocuit advocatum, plus æquo benignum et facilem, iis, quæ tamen Cicero permittit, mendaciolis uti.

(*b*) Hist. de ani. IX, 47.

GRILLUS.

Opusculum Grylli signatum nomine non jam dimidia (ut liber de solerti a animalium) sed omni ex parte nugatorium est. Cui titulus adjicitur *irrationabilia ratione uti*, quasi voluerit auctor aperte significare portentosi aliquid se defensurum, et communi omnium sententiæ, jocandi gratia, refragaturum esse. Profiteri enim animalia non esse stipites, sed vim intelligendi et ideo adumbratæ cujusdam rationis particulam iis obtigisse, nonnullis fortasse stultum, plerisque sanum videatur. Ulterius autem si progressus, veram iis rationem inseres, et ab his contendes non ex æquo, sed e superiore loco hominem aspici, ecquis ad hæc risum tenebit ? Cum Plutarchus ea cavilletur, haud operæ pretium sit ludo illi immorari, nisi ferarum et hominum ingeniosa nonnunquam comparatione facetam orationem argute et eleganter cogitatis veluti distinxisset. Ea autem incidit occasio controversiæ : Ulysse rogante Circen ut socios ferina indutos figura in humanam rursus naturam invertat, illa prius Ithacum jubet percunctari a popularibus num forte cupiant pristinam formam recipere. Interroganti Gryllus, porcus ex homine factus, suo et comitum nomine respondet, disertissimus orator: « homine nihil esse miserius, quoquo se vertat; bestias autem longe melius vivere. Insipiat Ulysses, si hortetur socios ut a feliciori honestiorique conditione in multo deteriorem relabantur. » Talem arrogantiam admirante Ulysse, Gryllus magnifice bestiam extollere incipit, quæ sit dotibus innatis non per doctrinam paratis instructa, et fortis, et valida, et temperans, et cupiditatibus naturalibus indulgens, omnis falsæ et præjudicatæ opinionis expers, æqualitatis amans, gnara servitii (20), suis contenta opibus, sibique sufficiens, quid multa ? omni laude et excellentia homine præstantior ! Ad hæc nihil Ulysses, veluti non possit tantum porcinæ facun-

diæ flumen et impetum sustinere. Quam tamen Ithaco integrum erat Grylli retundere superbiam, si vel paululum illi per Plutarchum licuisset eloquii et sapientiæ suæ meminisse! Omnia enim ista pro feris argumenta in eas facile retorquentur. Gloriatur Gryllus vigore præstare belluam. Sane quidem. Sed non Polyphemus lacertorum nervis et membrorum robore præstabat Ulyssem? Quem nihilominus Οὔτις versute delusit, mentis sagacitate victum. Enimvero homo ipse (ut Pascalii verba usurpem) arundini assimilandus, sed arundi mente et cogitatione vigenti. Præ tali excellentia, cui non corporis firmitas luxuriantesve tori sordent? Afferesne fortitudinem animalium quam rerum respectus et ratiocinatio nunquam imminuant? Contra te ages; nisi forte præcipuam virtutis laudem referet leo furiosus qui,

> . . . . torta levis si lancea Mauri
> Hæreat, aut latum subeant venabula pectus
> Per ferrum tanti securus vulneris exit.

Violenta et cæca est illa fortitudo; impetu inconsulto fertur, neque contemnit periculum, sed non intelligit. Quanto melior virtus militis qui, morte proposita, neque ignarus futuri, vadit in fulminea tormenta, propter fidem et famæ curam! Age vero, feræ persecutus causam, prædices eam semel natam sibi sufficere. Ipse tibi ministrabo adjutores Sic enim cecinit Lucretius:

> Tum porro puer, ut sævis projectus ab undis
> Navita, nudus humi jacet, infans indigus omni
> Vitali auxilio; cum primum in luminis oras
> Nixibus ex alvo matris Natura profudit;
> Vagituque locum lugubri complet ut æquum est,
> Cui tantum in vita restet transire malorum.
> At variæ crescunt pecudes, armenta, feræque. . .
> (De rer. nat. v, 224).

Operam suam navet Lucretio Plinius: « hominem tantum nudum et in nuda homo, natali die, abjicit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrimas et

has protinus vitæ principio. » His gravibus viris respondebit Anacreo: « Cornu taurum instructum esse, aquatilia pinnarum, volucres alarum remigio (c), feminam pulchritudine, hominem ingenio (φρόνημα). Imbecillum quamvis et totius naturæ viribus nonnunquam impetitum mens illa satis adjuvat, juncta beneficio mutuæ societatis et benivolentiæ. Par enim erat bestias solitariæ vitæ destinatas se posse solas, deficiente alieno auxilio, tueri (21); hominem vero hominum conversationi et commercio reservatum, primo parentum, dein civitatis opem requirere. Quare vero cetera quæ jactitat Gryllus bestiarum commoda persequar? Ficta omnis illa excellentia conditionem vere inferiorem indicat. Sic Midas nunquam miserior et pauperior exstitit, quam cum nonnis aurum tangeret. Si qua enim in animalibus meliora videntur, quænam alia causa subest, nisi quod ratione carentia, peccato quoque carent? A rerum creatore provisum est, ut, quo magis ab infimis naturæ gradibus ad superiores evcheris, eo minorem deprehendas apud animantia legibus suis obedientiam. Inanimata enim, ut lapides et plantæ, ab edictis naturæ nunquam discedunt, bestiæ vero nonnunquam. Homini autem propria est contra naturæ suæ leges rebellandi potestas. Data ratione, ait Tullius, malitiam quoque Dii dederunt: « Est enim malitia versuta et fallax nocendi ratio. » Unde solus in orbe terrarum vitia et virtutes exhibet. « Soli animalium non sitientes bibimus, » inquit Plinius, cui subjiciet lepide Figaro: « Ea re superior homo bestia, quod is potat non sitiens, comedit non esuriens, et omni tempore amat. » Faceta non solum hæc, sed verissima, et (si Diis placet) generi nostro honorificentissima. Nam cui licet naturam negligere ducem, hic etiam valebit animi magnitudine humanam vincere naturam, et virtutis excellentia, quantum mortali datur, ad Deum accedere. Ideo non sine maxima,

(c) 2e ode.

fateor, arrogantia Stoici, cum intelligerent Deum non posse in malum incurrere, hominem contra malis obnoxium esse cupiditatibus, Sapientem finxerant, id est virum, libidinibus victis, officii tenacem, Deo ipso majorem evadere. Nefarium id et superbiæ intolerabilis, sed speciosum tamen, et ortum ab errore cui veri nonnihil admiscetur. Deus enim bonus per se, ac veluti sine certamine (ἀκονιτί); homo per judicium et egregiam contentionem animi pravas cupiditates expugnantis.

Quid vero de illa Grylli sententia judicandum homine nihil inveniri miserius? Quatenus id verum sit belluinæ et humanæ conditionis comparatio declarabit. In bestiis corpus dominatur, cujus dolores pauciores et minores esse quam animi non male Epicurei disputabant. Homo contra potissimum animo constat, qui cum dolet multo plures et acriores affert molestias (22). Trium enim temporum animus particeps; corpore autem præsentia solum sentiuntur. Ideo Stoici et Epicurei in eo consentiebant, ut nihil magis ad beatam vitam conferre putarent, quam si quis falsam omnem de bonis malisve opinionem aversatus, assuefieret nihil admirari, nihi vehementius optare, et præcipuum illud assequi ut, perturbatione animi et affectu majore vacuus, habitu illo mentis frueretur quem Zeno ἀταραξίαν, Epicurus ἀπάθειαν cognominavit. Quam autem difficile nobis æquitatem, vel potius inertiam illam mentis occupare! Quam cito angitur animus, et acerrimis interdum aculeis! At enim homini quoque propriæ sunt animi voluptates; unus bona mentis gaudia percipit. Fateor, sed ita ut existimem dolorum vim et numerum voluptatibus longe præstare. Utraque tamen bestiæ ignorant, totæ propemodum in sensibus, qui plures voluptati quam dolori præbent aditus. Quid quod finem suum animal sine labore assequitur; finis autem bestiæ propositus in eo versatur ut se diligat, et in optimo generis sui custodiat statu. Quo lut perveniant, pecudes natura sensibus et facultatibus neces-

sariis instruxit. Ita suum quæque fera munus retinet, conditionemque diligit supra quam nihil excogitet, nedum, ut fingit Horatius, bos piger optet ephippia aut arare caballus. Ista sunt hominis. Nam apud eum facultates non tam apte fini congruunt quam in animalibus. Non solum ad se conservandum natus, sed ad intelligendum et amandum, sæpius intellectu sibi depingit meliora quam quæ se penes esse videt, neque etiam amorem ingenitum satis explere potest. Inde plurimum dolet, et angore animi vel mentis uritur, et vitam interdum trahit infelicem, ut qui ultimum illud semper animo excogitatum occupare nequeat; quæ fuerat Tantalo supplicii forma, liquore semper inaccesso æternam concupienti sedare sitim. Id autem inter eum et hominem feliciter interest, quod Deorum iste contemptor pœna immortali afficitur, homo dolore quondam finituro. Nam eo ipso quod animus eorum desiderio maceratur quæ vita terrestris optanti non sufficit, declarat se reservari cœlesti domicilio, ubi mala omnia resarciantur. Inde patet humani pectoris ægritudines cruciatusque mentis generis nostri confirmare excellentiam. Gryllus igitur, quantum libuerit, hominum infortunia recenseat, et ærumnas amplificet. Quantacumque illis mala toleranda sunt, non erit unde naturam incusent, sanam modo philosophiam et religionem adjutrices in ferendis laboribus adhibeant. His verbis Fenelo concludit sermonem quem ipse inter Ulyssem et Gryllum instituit. Quod vero ad Plutarchi rhetoricam exercitationem attinet, non adeo fidem facit, neque tam scite belluinam vitam commendat, ut cuivis injiciat cupidinem more quadrupedum ingrediendi, sicuti Voltarius de se ipso, in Russelium jocatus, dictitabat. Immo Thales agebat Jovi gratias quod natus erat vir non femina, græcus non barbarus, homo non bestia. Ea de re novissima, Thali, bona Grylli venia, suffragabimur.

VIII

PLOTINUS

Philonis instar, Alexandrinorum princeps Plotinus anteriorum philosophorum doctrinis Musæi scholam ditare voluit, sed parcius iis et concinnius usus est. Cum enim Judæus auctor disciplinas alias aliis confusas veluti inseruisset, duas præcipue Plotinus apprehendit, quas ab uno olim fonte derivatas in unum rursus redigeret, diremptæ concordiæ reconciliator. Ita Platonem et Aristotelem in sua ipsius conficienda doctrina adhibuit, sed ita ut in Platonem magis inclinaret. Atqui Platonicum illud servavit omnes vitas ab una origine proficisci, et mundanam illam animam a deo et astris usque ad infimam sub luna jacentium corporum naturam expandi, luci adsimilem quæ, diffusa quoquoversus, eo purior et clarior est, quo propius ad fontem accedit. Sed anima illa una et eadem, si substantiam respicis, quam diversa in unoquoque genere! animantium enim alia ratione vigent, alia carent. Atque ea quæ rationem desiderant vivendi vim et se nutriendi et generandi receperunt, tum etiam exteriorem vel passivum sensum (sine perceptione), imaginandi facultatem, quatenus ea sensibus commota rerum imagines repræsentat, denique

appetitum. Quæ autem mentem sortita sunt iis interior sensus, aut perceptio, opinio, ratiocinatio adsunt; et illa vis imaginandi quæ non rerum commovetur simulacris, sed ex se ipsa elicit et progignit effigies quibus sententiæ vestiantur; ad hæc memoria et voluntas. Res ita cum secrevit Plotinus, bruta quoque intellectus particulam obtinere facile credas, idque concedere philosophum, quandoquidem res percipiunt, raciocinantur aliquo modo, et meminerunt. Minime vero concedit, propter eas quas amplectitur facultatum earum definitiones. Cum enim plerique philosophi sensum ipsum (αἴσθησις) a perceptione (ἐπαίσθησις) discreverint, sensum appelantes impressionem factam in oculis, auribus aut aliis sentiendi instrumentis, perceptionem vero commotionem animi rem ad quam erectus fuerit cognoscentis, Plotinus ab ea sententia deflexit. Postquam enim sensum a perceptione recte segregavit, hanc dicit non res ipsas (quod munus sensui reservatur) sed rerum formas apprehendere. Sic oculi vident arborem, mens autem, per fenestram oculorum, figuram cernit arboris. Atqui rerum formæ non corporeæ sunt aut sensiles, sed intelligibiles tantum, eoque ipso nomine intellectus iis tanquam pabulo suo pascitur. Quas vero bestia non percipit. Nam ad istam pertinent quæcunque movent corpus, non quæ mentem. Bruta igitur perceptione carent, atque uno illo sensu utuntur qui animæ ratione carenti conjunctus est. — Illa autem dialectica magis quam vera. Plotinum enim sine injuria interrogaveris cur velit perceptionem rerum formis apprehendendis contineri. Num vera illa perceptio est? Nonne potius eam appellem vim quamdam imaginandi et abstrahendi? Etenim nihil aliud est quod aiunt *abstrahere* quam a rebus rerum proprietates mente detrahere, ut colorem et figuram. Bestia porro cum parum intelligat et nulla oratione utatur, non valet adjectiva quæque deducere ab iis quæ subsunt; at vero si non intelligibile, sensile saltem probe cernit, atque ita distincte ut ea germana perceptio dicenda

sit. — Etsi perceptionem rerum animali omni necessariam esse quis non videt? Si enim muta ceram referant cui nescienti sigilli nota imprimitur, qui possint rebus commota, sed incognitis, saluti suæ consulere? Rem tam planam esse dixerim ut nemo sanus hæsitet; neque id, puto, Plotinus unquam rejecit. Si vero consentit, necesse est aliud attribuat bestiæ quam quæ irrationabili animæ adscripsit.

Jam a perceptione ad ratiocinationem et opinionem transeamus. Arbitratur Plotinus perceptione ministrari rerum imagines et formas quæ sint opinandi et argumentandi materia. Cum autem formæ illæ nunquam a mutis percipiantur, neque opinio, neque ratiocinatio in illa cadunt. — Apte deductum id; sed concinne structa domus quid proficit, si labanti fundamento nititur? Hic autem non perspicuum est argumenta posse de alia re qualibet quam de rerum formis concludi? Sic mecum: « Vinum hoc mihi caput tentavit; eo jam abstinebo. » Numqua ibi reperietur imago vel forma rei? Atque de cane item qui fuste cæsus ob furtum, a furto se postea continet. Involutam quamdam nec satis expressam secum efficit ratiocinationem; sed nulla admista rei cujuslibet imagine. Licet igitur argumentari, vel deficiente ista, quam male Plotinus huc ingerit, perceptarum formarum excogitatione. Quod vero ad opinationem, quam Plotinus bestiæ invidet, cum alii sapientem existimaverint opinari nunquam, alii semper, animalia interdum opinari verisimile est. Sed et sæpe res certo cognoverunt, nisi forte putes belluam, ob assensionis retentionem, se unquam, ut Pyrrhonem ferunt, in fluvium immisisse.

De memoria Plotinus acute et vere multa disputavit. Docet enim eam non esse continuam impressionem in sensu (*r*) ut nonnulli finxerunt, neque vestigio similem quod in anima

(*r*) Ista fuit opinio Condillacii, ejusque discipulorum. Cf. Buffon discours sur la nature des animaux.

velut in cera infigitur, sed ab ipso intellectu oriri. Fac enim rem tibi sensum impulisse. Mens ipsa per se illius rei memoriam revocabit, nedum ea menti communicetur a sensu, per aliquem repercussum præteritæ impulsionis. Canis enim ubi videt a quo male mulctatus fuit, minime sentit in se renovari vulneris accepti dolorem, sed se vulneratum meminit.(14) Memoriam igitur non renovatione sensus contineri Plotinus vere judicavit; sed vide (nam magnopere interest), quibus utatur vocabulis. Non sensum ipsum, ait, denuo memoria in animo excitat, sed tantum sensus formam intelligibilem. (His vocibus significat ejus rei notionem, te scilicet fuisse certo quodam sensu olim permotum). Atqui formæ intelligibiles non cadunt in animam ratione destitutam. Ergo feræ non meminerunt. Ita concludit Plotinus, veritus, credo, ne suam ipse disciplinam de irrationabili mutorum natura labefactet; (concessa enim bestiæ memoria, concedendus et intellectus, memoriæ auctor). At mehercle! Suam rationem non labefactat, sed penitus diruit, dum perspicua negat, bruta scilicet meminisse.

Supersunt ea quæ de libertate disserit Plotinus. Quam ita definit, ut dicat esse actum voluntarium cum scientia et meditatione rei quam agis. Inde neque in appetitu versatur neque in ira (ἐπιθυμία, θύμος), et ei contingit uni qui, mentis suæ compos et conscius, non temere quid, sed prudenter efficit. Cum autem insani et pueri etiam ab illa prudentia longe distent, Plotinus iis libertatem detrahit, nedum pecudibus.

Jam satis patet Alexandrinum philosophum, alioquin præstantissimum, in res definiendas tanquam in scopulum offendisse, magno brutorum detrimento. Dum enim perceptionem, ratiocinationem et memoriam existere posse negat sine rerum imaginibus aut formis, et libertatem sine actæ rei conscientia, quid sequitur, nisi ut feræ omnibus iis defraudentur? Sed, age, defraudentur volo. Quid tandem iis reliqui erit? Sensus, inquis, et quidquid ad sensum pertinet,

quasi sensus iste ab omni sejunctus intellectu possit ferarum affectus omnes efficere, et quæcumque sagaciter et versute moliuntur. Anima sane brutorum clavis, ut ita dicam, corpori hæret affixa, neque unquam se ad superiora erigit. Sed in ipso impedita corpore, quamvis offusa tenebris, igniculos retinet et imperfectam humanæ animæ similitudinem. Quid autem illud mirum, siquidem, ut Plotinus ipse statuit, mutorum anima universalis animæ effluvium quoddam habenda est? Plotinus vero particulam hanc minutissimam Dei negligit, ad ea suspicere solitus quæ præstantissimum summæ Intelligentiæ exhibent imaginem, id est rationem homini propriam et illam elationem mentis qua mortalis natura, ex se egressa, ad Deum usque tendit, illique se propemodum immiscet et assimilat (a). Quæ dum sublimi ingenii meditatione contemplatur Plotinus, et se ipsum corporisque fastidit infirmitatem, bruta quoque neglexit, ne a cœlo se ad infima terræ detruderet. Absit profecto ut id molestius æquo feram. Quanto enim melius de philosophia meritus est, quam si Platonicas illas mentis alas comprimendo, studium in vilioribus ac terrenis animantibus potissimum consumpsisset! Sed tamen, cum hic de brutis exquiratur, necesse visum est, si quid in eis Plotinus peccaverit, expedire, præsertim cum voluerimus desiderata non tam objurgare atrociter, quam in lucem edere.

(a) ὁμοίωσις τῷ θεῷ

IX

PORPHYRIUS.

Quæ sit in Plotinum intempestiva judicandi severitas, eadem in Porphyrium non male cadat, audaciorem discipulum. Quid enim ? Verbum utrumque bestiis attribuit, rationem veram verumque sermonem. Atqui sermonis nomine Porphyrius appellat quodcunque linguæ et vocis auxilio affectus animi significat, sive barbare, sive græce, bovine vel canine expressum fuerit. Unde bruta orationis capacia, et quidem variæ, quoniam venator e latratus diversitate canem quærere leporem, aut invenisse, aut cepisse, aut vagari temere intelligit. Audi igitur Porphyrium seria voce memorantem, fuisse qui sermonem brutorum interpretari dicerentur, ut Melampus fertur, Tiresias, Thales apud antiquos et nuper Apollonius Theaneus (*r*) « qui, quum audiisset hirundinem aliis nuntiare asinum, prope urbem, onustum tritico cecidisse, triticumque humi diffusum, inde in amicorum cœtu contendit animalia rationem habere. » At plerique sermonem eum non intelligunt. — Barbaros numquid melius intelligis ? Nonne arbitraris eos, dum vocabula sua pronunciant, loqui minus quam

---

(*r*) Rabbini prædicabant idem de Salomone.

vociferari ? Itaque canis haud injuria dicat, ut apud Tomos Ovidius.

Barbarus his ego sum quia non intelligor ulli.

Rationem vero competere animalibus Porphyrius his argumentis confirmari putat. Apud homines juxta et pecudes corpus eodem modo afficitur. Nam, ut omittam morbos utrique generi communes, si quod animal exsectum fuerit, effeminatur. Ideo galli spadones non jam stridenti et masculo gutture canunt, sed voce utuntur feminea, sicut homines ipsi consueverunt. Quemadmodum vero corpus, ita ferarum anima easdem quas nostra affectiones recipit. Inde pecudes ad humanam similitudinem odores, sonos, calida et frigida percipiunt. Quin etiam cogitant. Cogitationem enim vocat Porphyrius « quod in anima per silentium dicitur. » Bruta autem sic loqui quodammodo secum, et variis intus moveri affectibus, id indicio est, quod voce significant quid velint aut sentiant. Nihil enim exprimi lingua potest, quin prius animo conceptum sit. Ad cogitationem vero accedit ratio ipsa, sed illius rationis modo et mensura pecudes tum inter se, tum etiam ab homine discrepant. Aliæ autem ab aliis differunt ex locorum natura ubi generantur et vivunt, neque absurde nonnulli adorsi sunt ostendere multa, ex locis quæ sortita sunt, prudentiora esse nobis. His vocibus Porphyrius significat sidera, quæ pascentia Ætherem (id est tenuissimum et minime concretum aerem) Deorum loco habebantur, atque ideo animalium maxime ratione vigentium. Subjungit etiam hominem Deorum dignitatem aliquo pacto metiri ex locis, innuens Jovem maximum Deorum censeri quia imperio aeris potitus sit, cum Neptunus aquam, Pluto subterranea loca sorte receperint. Quod si igitur Deorum gradus e domicilio constituuntur, idem fieri de animalibus naturale est. Ideo propter sedis et domus patriæ discrepantiam, rationis gradu inter se differunt, et aves, illæ ministræ divinationis,

prudentiores habentur aquarum incolis aut sub terram viventibus.

Quanquam animalium vel maxime sagacium ratio humanæ rationi primas deferre cogitur, propter naturam corporis, cujus e sensibus et constitutione magnam in partem pendet intellectus : ita videntur homines pecudem solertia et acumine mentis antecedere. Ex quo tamen minime efficitur non eamdem esse apud utrumque genus rationis essentiam. Immo animæ quælibet communitatem habent substantiæ, neque potest illa communitas corporum diversitate corrumpi. Non enim animæ natura mutato corpore immutatur, sed compatitur tantum anima cum corpore, et hoc aut illud agit, prout corpus fuit hoc vel illo modo affectum et dispositum. Inde, si foret homini corpus constitutum aliter, haud scio an peragat ejus animus ea quæ nunc agere minime valet ; perinde tanquam ipsa ferarum anima, separata a corpore, iisdem efficiendis par erit quibus hominis anima, propter suam cum illa cognationem et æqualitatem essentiæ.

At dixerit aliquis, bruta quæ rationi parent, natura illi parent, non consulto. Quasi nobis quoque, respondet Porphyrius, ratio non insit natura ! Quamvis enim multa nobis disciplina comparentur, pleraque tamen a natura docemur, quod idem fit in animalibus: cum discant quædam a se, nonnulla etiam ab homine, plurima a magistra natura accepere. Immo Deus non doctrina, sed natura sola rationalis est, ut qui nihil unquam discere possit. Totum hoc Porphyrii responsum nullius ponderis est. Nam quando te rationabilem natura dicis, non idem est quam si rem illam profitearis de pecude. Si enim mentio fit hominis, *natura* significat naturæ donum, quæ nobis rationem inserit ; sin autem feræ, vocabulum illud interpreteris tanquam vim et necessitatem naturæ illius. Quid plura ? Bruta natura, id est instinctu quodam extraneo, neque per se, rationi multa congruentia efficiunt ; homo, munere rationis divinitus ac-

cepto, libere eo et sponte sua utitur. Vera autem ratio est, quæ cum conscientia actus et voluntario motu conjungitur. Quod si nihilominus rationem adscribis pecudi, quia impulsu quodam ingenito recte plurima gerat imprudens, numquid te vetabit idem affirmare de stirpibus, in quibus omnia certo ordine et opportunitate salutari fiunt? Sed hoc portenti refugis, et mavis (ex quo putas tuam de brutis disciplinam plurimum adjuvari), sententiam commemorare Pythagoreorum de animis in varias vicissim formas transeuntibus. Esto. Adjicias etiam, tibi per me licet, Socratis eam vocem olores conservos suos appellantis. Doctrinam horum agnosco, qui credunt omnes animas ab uno fonte derivari, quod quidem speciosius quam verius. Tamen nonnullis probabile forsitan videbitur; tua vero de brutorum ratione et oratione commenta, nulli.

DE ABSTINENTIA CARNIUM.

Quanquam unum Porphyrio gratulatum velim, quod sibi convenit apte, et quæ sequuntur ex institutis suis rite deducit. Talis est quam de abstinentia carnium rationem explicuit. Postquam enim disputavit hominis et bestiæ animas consimiles esse substantia, minime repugnat ut pecudes nobis affines existimet. Theophrasti meminit Græcum Græco, Barbarum Barbaro cognatum esse asseverantis, propterea quod generis aut vitæ institutorum communitate conjuncti sint, et idem ipse de cunctis animalibus, homine brutove declarat, adeo similem horum omnium corporibus et animis originem asserit. Ideo si mactaveris consanguineos, quo nomine dicendus eris? nonne ista mera impietas erit? — Hic vero præsto est Chrysippus, qui crimen illud impietatis amoliatur, et ad ipsam divinæ providentiæ benignitatem provocet. Nam Deus hominis gratia generari voluit quæ terra sustineat, neque profecto impius, qui concessis et ad usum aut voluptatem creatis utitur. Ea sordent Porphyrio, et Stoicum interrogat num vi-

peræ quoque hominis causa natæ sint (*a*). Quid quod, si naturæ propositum et finem ex utilitate describes, non fateri cogeris pecudes et homines ipsos in lucem editos esse ad pabulum leonibus et crocodilis ministrandum? Desine igitur lædere bruta, ipse illæsus, et hunc ab iis petito usum, qui sit humanitati et pietati accommodatus, mulctram scilicet et tonsuram ovium, sicuti baccæ arborum sine injuria detrahuntur, quæ sponte sua maturitate tempestiva decidant. Si qui autem violaverint animal, iis pœnas impendere inexpiabiles clamant, una cum Porphyrio, Empedocles et Pythagoras, non mediocres viri, ait Tullius, sed maximi et docti.

Multum abest ut Plutarchus clamet idem. Tamen bruta defendit aliquantum, Porticus et Lycei præceptis adversatus. Illi enim contra pecudes afferunt, quod neque inter se neque adversus homines justitiam exercent (*b*) ; unde sequitur nulla nos erga eas æquitate obligari. Argumentum illud Epicureis præsertim acceptum erat, apud quos justitia utilitate et pacta lege continetur. Ideo ubi non convenit cum aliquo genere ne mutua inferantur mala, omnia licent, sicut in barbaros aut feras, quibuscum nullum homini aut græco jus intercedit. Itaque par pari referre ea demum æquitas erit, et quoniam bruta neque sibi neque nobis parcant, quoquo modo iis rursus utamur et abutamur, non a jure repugnabit. Disciplinam istam Plutarchus minime comprobat, neque tamen Pythagoræ consentit, sed medium quoddam amplexus, rem ab extremis ad modestiam sapientiamque revocat. Quæ enim animalia bellum hominibus indixisse videntur, ea per fas et nefas veniam dat occidendi, perinde tanquam officiorum ille descriptor Tullius tyrannum quemque spoliandi et necandi dedit, si possis, quoniam nulla nobis cum tyranno societas est, sed potius summa distractio, et omnis immanitas bel-

---

(*a*) Cf. Voltaire, le Lion et le Marseillais.
(*b*) Cf. Maxime de Tyr, 41e dissertation.

luina a civitatis corpore quasi membrum putre recidenda est. Quæ vero mitia sunt et hominibus amica omni nostra crudelitate vacent. Nam ad eum finem creata sunt, ut homini serviant, non ut atrocem et sævum dominium experiantur. Itaque si cui vitæ tuæ sustentandæ causa vitam ademeris, adimes tanquam necessitate pulsus, eoque sensu ut miserearis potius quam insultes, aut gulæ voluptati morigeratus excrucies. Ita neque justitiæ neque utilitati inferetur damnum, et quod tibi brutisque debeas idem præstabis. Ecquis autem istum dixerit hominem qui, ut palato lenocinetur, excandentia verna porcorum jugulis inserit, aut gravidæ suis uberibus insultat, quo fiat caro delicatior, quasi non possit vivi suaviter sine istis vere Siculis excogitationibus? Omnia hæc stomachum Plutarcho movent : non usque eo progreditur ut dicat (sicuti libentissime dixisset Porphyrius, Stoico sapienti consentiens), non minus delinquere, qui pullum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum qui patrem suffocaverit. Sed tamen querentes de immanitate hominum pecudes inducit indignatus. Nam cruciare feras ad libidinem, quo fiant magis esculentæ, quo iste modo servum, vilem animam, scorto obsecutus, securi trucidari jussit inter pocula, pravitatis est infandæ, et a natura abhorret. Bene igitur Plutarchus homines studet ad clementiam erga pecudes incitare, ratus crudelitatem a feris in homines facile traduci, neque hercle belluarum aut gladiatorum certamina a Romanis tam celebrata non ea fuere quæ judicantem talia redarguant. Postremo ingenuus et misericors ille Plutarchi sensus redimit, si quid de esu carnium, sophistarum more, lascivit, præsertim cum recedens ab omni remotioris opinionis novitate, neque justitiæ et humanitati, neque etiam utilitati et moribus officiat ; quod idem non omni ex parte Porphyrio contigerat.

X

PROCLUS.

Proclus (*a*) in brutorum anima describenda sæpius Porphyrio et Plotino etiam verum attigit. Non enim oblitus præcepti sui, omnes animas ab una, tanquam a sole radios, emitti, concedit non modo animalia rationabilia in consortium venisse universæ illius mentis, sed etiam alia quæcumque facultatem habent cognoscendi. « Animus enim Divinus, animorum omnium seminator, secundum mentem digerit et constituit omnia quæ cognitione utuntur, etiamsi sint maxime bruta. » (*c*) Quid autem inter bruta ista et hominem intererit ? Maxima res, ratio. Sensus enim, imaginatio et opinio bestiarum plane aliena sunt a ratione, siquidem eorum auxilio muta res percipiunt, non quales sunt, sed quales videntur, sublata omni erroris corrigendi copia. Homo enim cum videt baculum in aqua distortum et ruptum, oculis mi-

(*a*) Præstantissimam Bergerii Thesim de Proclo sæpius adhibuisse me non pœnitet.

(*c*) In Platonis theologiam III, 1.

nus quam rationi contra oculos testimonium dicenti confidit. Canis vero sensus non esse fideles ne suspicatus quidem, solem et lunam casei referre latitudinem putat, ad morem Epicureorum. Quippe cui non ratio, sed inchoatus tantum intellectus insit. Hunc autem intelligere Proclus ex eo ipso colligit quod sentit. Nam sensum cognitio semper aliqua sequitur (*r*). Dubium id esse supra demonstrare conati sumus, cum actum est de Plutarcho et Stratone Physico idem consentibus.

Libertatem vero Proclus existimat peræqua proportione intellectus existere. Ideo, ut quisque maxime menti et rationi obtemperat (νοῦς), ita maxime liber est, libertatem illam amissurus, ut primum cupiditatibus et omni corporis appetitioni inserviet. Appetitus autem illi cum in fera vehementiores sint, iis mediocriter obsistit, non aliam ob causam fato aliquantum obnoxia. Hanc vero fati necessitatem feliciter Deus mutis imposuit, ut voluptas iis esset pro ratione, et ad id inclinarentur, ut se sibi commendent. Quod autem naturæ vi, non consilio sæpius bruta impelluntur, numquid inferes ea plane libertate defici ? Minime. Potest enim canis a capiendo cibo metu deterreri, atque etiamsi, victus impulsione inexsuperabili naturæ, ad eum invitus feratur, haud invitus profecto, sed libere membra hoc aut illo modo movebit, ad prædam dum progredietur. Ita salutaria quæque occupabit jubente fato ; gradatim vero incedet ad ea, aut prorumpet, aut adrepet insidiose et quasi latitans, libero et proprio motu, prout satius existimabit.

Quæ quidem rite deducuntur a præcepto Procli judicantis libertatem dominante cupiditate minui, adaugeri vero, quo magis animal inter agendum utitur intellectu. Sed alibi (*v*) alio modo philosophus libertatem interpre-

---

(*r*) Cf. thesim Berger, de Proclo, p. 76.

(*v* Cf. Vacherot ; école d'Alexandrie, II, 262.

tatur, eamque non jam ipsi intellectui adjungit, sed facultati inter ea eligendi quæ vitiosa virtutive consentanea sunt. Cum autem neque Deo integrum sit peccare, neque bestiæ colere virtutem, neutri eorum libertas contingit, quæ sit homini propria. Solus enim homo potest, pravo rectoque sibi propositis, alterutrum optare. Ideo libertas, eo si momento ponderetur, denegatur omnino bestiæ, quam ob causam, nisi quod a Proclo male descripta est? (23) Sed enim ita se res habet. Quemadmodum ægri medicorum imperitiam luere solent, ita, si quid philosophi secus definierunt, res continuo redundat in bruta, immerentia quidem, ita ut modo libertas, modo memoria, aut etiam sensus ipse iis auferatur. Ecquid enim est quod ad libidinem ingenii sui homo non effinxerit, sui ipsius et ceterorum animalium (ne de ipso Deo loquar) temerarius informator? Interea tamen, dum alia destruit, alia ædificat, et mutat quadrata rotundis, permanent inconcussæ naturæ cujusque leges et temperatio. Tumultuarius ille apud Molierum medicus jecur sinistro, cor dextero lateri quamvis novo more affigat, suum quæque intus locum obtinent, eodem quo bruta modo, a philosophis licet figurata toties et deformata, nullam facultatum suarum accessionem decessionemve experiuntur (24).

Quamvis nonnulla perperam excogitaverit Proclus de brutorum anima, nihilo secius plura de his sapienter advertit. Jam apud Philonem Alexander (Pythagoream disciplinam et Biblia ipsa recordatus), professus erat genus animalium pretiosum esse apud Deum et honoratum laudeque celebratum ab hominibus Deum diligentibus : Proclus simile aliquid, sed parcioribus vocabulis expressit. Refragatus enim putantibus alienum esse a majestate divina, ad singulas et minimas naturæ partes providentiam Numinis extendi, melius ille pronuntiavit nihil esse in Jovis domo, id est Mundo, vile (25). Sedenim Jovis omnia plena, quoniam, ut Proclus arbitratur, Mens divina se in omnes rerum naturas et species omnimo-

dis insinuavit. Placitum id suum Stoicis et Plotino constantius Proclus retinuit, in definienda mutorum anima. Idem vero in lubrica se et ancipiti via, sicuti decebat, continuit, Porphyrio prudentior qui, totam hanc emetiri deliberatus, se non in angustias modo, sed in fauces plane impervias immiserat.

XI.

CONCLUSIO

Quoniam præcipuæ veterum de anima brutorum opiniones investigatæ sunt, restat ut subjiciamus quid videatur de summâ quæstionis hujus nostræ judicandum. Res est sane expedita parum, et humani animi problemate magis involuta. Mens enim nostra ipsa se inspicit, et agentem intuetur, ita ut possit se sibi cognoscendam penitus aperire. Ubi vero de bestiis agitur, quid valet, quæso, præceptum sapiens: γνῶθι σεαυτόν? Ferinam inducere pellem et indolem oporteat, si quis velit mutorum animam funditus exploratam et compertam habere. Cum vero talis inquisitio non possit institui, permissis utamur, ad aliam artem conversi, scilicet *analogiam*. Quemadmodum enim mens nostra, quamvis invisa, ex illius operibus cognoscitur, ita ferarum naturam ex earum motibus et actionibus variis describere par est. Qualia autem deprehendimus ab animalibus effici? Sentiunt procul dubio et moventur. Principium vero sentiendi et movendi probe novimus nequaquam a corpore ipso proficisci, siquidem mens exteriora quæque sentit, mens machinam hanc nostram totam agit. Quinimo, ut ipse Tullius fatetur, quamvis imbutus in

muta Platonica et Stoica malignitate, videmus in nonnullis caritatis indicia, pluresque alios affectus, tum etiam memoriam, cognitionem, disciplinam. Quidnam vero indicia illa indicant, nisi impulsus et habitus eos, nostris interdum consimiles, ab aliqua vi et facultate defluere, quæ sit humani animi facultatibus consimilis? Ideo cum persuasissimum habeamus non corpus in homine, sed animum cupere, dolere, recordari, imaginari et cognoscere, idem in mutis per animum fieri concedamus necesse est. Ergo animus ipsi feræ suppetit. Qui vero et qualis animus? Quibusve notis ab humano secernitur?

Mens humana se in res *intendit*, aliam alii *comparat*, qualitates a rebus *abstrahit*, singula quæque in species, species *in genera redigit; judicat, ratiocinatur;* rerum sibi effingit *imagines* et *meminit*. Ex his autem pleraque apud animalia reperiuntur. Quis enim unquam sensus in res perspiciendas intendit acrius cane, quæ in leporem aut perdicem indagatam oculis, animo, tota denique defigitur? Eadem, si opus fuerit saltu fossam superare, latiorem partem angustori apprime comparabit, posteriorem hanc antepositura qua transiliat. Verum de ratiocinatione et judicio longe distat ab homine bestia. Cum enim homo rerum ideas et orationem in promptu habeat, explicite et lucide affirmat quid et quatenus duæ notiones conveniant sibi vel disconveniant. Ad hæc, quare judicia congruant vel repugnent argumentando conficit. Id autem utrumque apud animalia, sicut in infantulo nondum loquente, implexum et obscurum est, neque tamen plane abest. Fac enim a catulo strepitum bellicæ fistulæ primum audiri. Statim aufugiet canis novitius, propter metum et instinctum aliquem naturæ. Illæsus autem, brevi revertetur, nondum experti periculi securus. Si vero plumbus tironem attigerit, fistulæ fragore iterum audito, in fugam se proripiet, minime rediturus eodem, scilicet quia non dialectico, sed suo modo judicabit nihil inde boni sibi eventurum. Memoria autem animalia ins-

trui ecquis non videt, sine qua memoria, neque rerum experientia existat, neque institutio bestiæ ad hominis usum informandæ (27)? Aliqui tamen negaverunt muta recordari(28), ne sit, credo, mendacii manifestus, qui censuerit nihil tam absurde dici posse, quod non dicatur ab aliquo philosophorum, nivem exempli gratia esse nigram (*o*). Sedenim nix alba cadit, meminit animal; immo et imaginatur, ut e somniis apparet :

Quippe videbis equos fortes, cum membra jacebunt
In somnis, sudare tamen spirareque semper;
Et quasi de palma summas contendere vires;
Venantumque canes in molli sæpe quiete
Lactant crura tamen subito, vocesque repente
Mittunt, et crebras reducunt naribus auras,
Ut vestigia si teneant inventa ferarum.
(Lucr. IV, 989.)

Hic autem advertenda hominis et bestiæ dissimilitudo. Apud enim illum imaginandi vis et abstrahendi conjunctæ sunt, in hac vero neutiquam. Homo enim simul potest et rem videre oculis, et compressis subito palpebris, vi suæ mentis et voluntate, cernere animo rei imaginem. Hæc autem imago non se ultro ad illius mentem contulit; ipse eam excivit et evocavit, adjuncta etiam conscientia effigiem et rem non esse in unum confusas. Bestia contra imaginem a re numquam judicio et arbitrio suo separat. Imaginem recipit, non abstrahit. Adde quod, ubi videt leporis simulacrum somnians, nescit se intueri speciem ab ipsa fera distinctam. Imo sibi videtur cernere leporem ipsum, non formam leporis. Si credat enim intueri se formam inanem, non allatret. Fit ergo imaginatio, non abstractio, quod abstractio demum existit, cum intelligimus duo nobis objici, rem et rei imaginem, cumque unam ab altera sponte nostra sejungimus. Imagines ideo rerum sæpius imprimuntur in anima ferarum. Cum autem solus homo formas rerum cieat prudens,

(*o*) Acad. II, 31.

sequitur, quoties id accidit, animum ejus non pati solum, sed etiam agere, quæ similitudo in bestiis non apparet.

Ex his quæ supra disputavimus, liquet, intellectus humani opera pleraque in ipsis pecudibus inveniri, rudia quamvis et manca. Jam ad cupiditates accedamus, quarum nonnullæ in mutis propemodum humanæ videntur. Nisi forte parentem amantissimam non referat bucula, quæ vitulum amissum inquirit cum gemitu, neque jam, desiderio perfixa prolis, lætissima pascua curat, sed fœtum absentem luget insolabiliter. Non adeo vulgata caritas illa canis quæ, scalpello dissecta, catulos admotos tanquam in levamentum doloris, lamberet, atque ubi removebantur, ingemeret flebilis. Affectus alios nostris æque similes describere longum est, præsertim cum res ea nonnullis jam locis tractata fuerit. Ideo satius animadvertere mutorum cupiditates ex eorum intellectu pendere nonnunquam. Omissis enim iis animi motibus ad quos bestiæ instinctu cœco naturæ feruntur (29), ut est ira in hostem, impetus in prædam, lætitia nata e corporis voluptate, sunt alii quidam ad minorem majoremve sagacitatem referendi. Ita elephantus, canis, equus ipse amari videntur, et iis a quibus læsi sunt diutius infensi, propter eximiam vel remotissima recordandi facultatem. Idem de grato animo et amicitia dicam. Qua quidem omnia animalia canis haud scio an antecellat. Nam haud semel evenit, ut caritate pulsus in educatorem simul et intellectu, periclitanti dum auxiliatur, vitam devoveat, aut si forte perierit herus, desiderio eum et ululatu prosequatur. Affectus autem ille ingenito prolis amori minime similis, non a natura præsertim, sed potius ab animi sagacitate proficiscitur. Quemadmodum vero bestiæ sensibus humanis eo propius accedunt, quo intellectu acriori vigent, ita cum vim rationis nostræ assequi nequeant, plures humanas cupiditates imperfecte referunt. Inde fit ut homines et feræ zelotypia laborent, sed modo dispari. Reperias enim catulos qui, si cani alii manu blandiaris, irascantur et prælatum

sibi a domino comitem impetant infesti. Ubi vero de femina cane agetur, quam æmulus quispiam ambit, caninus affectus ab humano plurimum distabit. Homo enim, si datur aditus rivali suo, in mulierem sævit, canis in competitorem unum. Nec mirum, quoniam illi nulla fidei aut justitiæ notitia est, et æmulum a catella, perinde tanquam a pulmento a se præoccupato, repellit.

Adde quod animalium cupiditates cum instinctu naturæ semper congruunt, quia ipsæ naturales sunt, neque ex opinionibus et judiciis derivatæ. Ideo taurus, si forte regno gregis dejectus fuerit, non pudore et opprobrii conscientia ad mortem sibi consciscendam adigetur. Alio se conferet, alibi regnaturus, rem haud moleste ferens, sed Stoice. Natura enim sui amorem animalibus indidit, non autem humanum hunc sensum qui gloria aut vanitas dicitur, quæ vanitas e nimio sui amore defluit. Ignota pariter iis desperatio, quod judicium est nullum jam sperandi locum superesse. Poterit igitur bestia conservationem suam oblivisci paulisper, pro defendendo partu vel domino, nunquam pro fama tuenda, aut quia desponderit animum : reperientur fortasse apud feras æmuli Horatii illius Coclitis, Uticences vero Catones nulli. Porro in homine cupiditates et naturalis instinctus non adeo consentiunt, neque sua conspiratione eum impellunt, ut feram, eodem. Imo instinctus generi nostro datus esse videtur tanquam medicina et frenum, ne forte donum libertatis in nostram perniciem detorqueamus, malis quibusdam cupiditatibus sine lege obsecuti; atque id sapienter a Deo provisum. Si enim defuisset vitæ naturalis amor, quot vana gloria, quot desperatio et rerum humanarum fastidium in mortem immergeret ! Fac autem absit sive titillatio et scabies illa voluptatis, sive sobolis innata cupido: quam brevi gens humana paucitate sua laboret aut etiam exstinguatur ! Ita cupiditates in fera adjuvantur, apud hominem cohibentur nonnunquam instinctu. Illa enim naturæ docilis obtemperat plerumque. Is autem necesse erat a se ipso tutus foret.

Superiora breviter contrahamus : non modo bestia partem aliquam intellectus obtinet, sed etiam cupiditatibus movetur, nunc humano more, nunc suo. Jam veniamus ad ea quorum adjumento homines et animalia sensus animi significant. Hic summum interest discrimen. Homo loquitur, fera obmutescit; vel potius, cum duplici oratione utatur homo per vultum, gestus, et vocis articulatæ sonum, bestia posteriorem illam ignorat, naturalem vero orationem optime et interpretatur et ipsa adhibet. Interpretari autem ex eo liquet, quod cito et facillime intelligit signa pleraque gestus humani, et oris habitum cum minantis, tum adridentis. Quod vero ad naturalis orationis usum, non vultu sane, qui proprius est homini mentis et pectoris interpres, at certe motu corporis, caudæ gestientis hilaritate quadam et vocis inflexione lætitiam, desiderium, dolorem, impatientiam et alia ejusmodi bruta significant. Submissus ad terram canis, depressis auribus, cauda corpori subter applicita, timere se aut deprecari nonne declarat?

Irritata canum cum primum magna molossum
Mollia ricta fremunt, duros nudantia dentes,
Longe alio sonitu rabies districta minatur,
Et cum jam latrant et vocibus omnia complent.
At catulos blande cum lingua lambere tentant,
Longe alio pacto gannitu vocis adulant
Et cum deserti baubantur in ædibus, aut cum
Plorantes fugiunt submisso corpore plagas.

(Luc. v. 1063).

Narrat Plinius die quadam Pompeium Romæ munus edidisse, ubi plures elephanti pugnaverint in circo, Gætulis ex adverso jaculantibus. Cum universi eruptionem frustra tentavissent, clathris ferreis circumventi, illi « Pompeiani, amissa fugæ spe misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes supplicavere, quadam sese lamentatione complorantes; tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris, ac munificentiæ honore suo exquisitæ, flens universus consurgeret, dirasque Pompiio, quas ille mox luit, imprecaretur. » Mutam illam ele-

phantorum eloquentiam magister eorum sine dubio non esset oratione consecutus, si fuisset illi pro gladiatore morituro perorandum.

Quid vero tandem de universa bestiarum anima judicandum? Eam neque plus æquo amplificare, neque rursus extenuare decet, sicuti plerumque evenit, dum unus feras machinarum numero adscribit, alter prædicat animum canis, si in corpus Aristotelis incidisset, tanti ingenii sublimitatem assequi potuisse (a), quasi rei incorporeæ natura e domicilio suo, aut membrorum fabricatione tota pendeat. Multa profecto existunt e corpore quæ acuant mentem, multa quæ obtundant. Illud autem nullo modo valet ad id ut hominum ferarumque animam plane confundas. Non sentis simiæ formam (si perpauca exceperis) nostræ simillimam? Caput illi rotundum, quam figuram, ut Plato excogitavit, intellectus unam sequitur; tamen nonnullis etiam animalibus de solertia et sagacitate cedit; linguam habet humanam, et non loquitur; aures humanas, neque concentu fidium delectatur; oculos, et non videt sylvarum quas habitat amœnitatem. Quid enim? animum bestiæ Deus voluit a nostro plurimum secerni. Quamvis enim feræ quædam subtiliter intelligant, et affectibus moveantur mediocriter a nostris abhorrentibus, inchoata illis inest natura, ac veluti truncatus animus. Muta enim haud distincte sui conscia sunt, neque eorum intellectus ipse se reflectendo reducit introrsum. Adjice quod neque verum, neque pulchrum, neque bonum, ab omni remotum utilitate, intelligunt. Bestia angustissimis naturæ suæ circumscripta finibus, e præsenti tempore non egreditur, ut præterita, futura etiam (per inductionem) longe et late circumspiciat et amplectatur. Adeo minimum veluti punctum temporis et spatii obtinet! Quin etiam pro se vivit, caritatem et pietatem mutuam ignorat, virtutis inscia atque Dei.

(a) Bayle.

Neque mirum, hercle! Carnis enim pondere ferarum anima opprimitur, nedum valeat e tam gravibus se exsolvere vinculis. Humanus contra animus, quamvis terrenis membris hebetatus, detrimentum e misera illa adjunctione sibi importatum vigore ingenii et voluntatis egregia contentione quam maxime potest, imminuit. Sopitus in infante, turbidus et imbecillis in puero, paulatim adolescit, corroboratur, ita ut plane sui compos olim, et bene compositus evadat. Ferarum interim animus eodem usque jacet statu, somniculosus, hebes, neque ad id reservatus ut unquam exspergefiat. Sola enim mens nostra veternum suum excutit, ubi corporea compage liberatur, vermiculo similis qui, depositis prioris naturæ sordibus, jam instructus alis, in auras evolat papilio, sicuti Eros et Psyche finguntur ab antiquis in cœlum avolasse.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. id. jun. ann. MDCCCLXIII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
J. Vict. Le Clerc.

Typis mandetur :
Parisiensis Academiæ Rector,
A. Mourier.

(1) Celebrata vox Anaxagoræ: ἦν ὁμοῦ πάντα χρήματα, νοῦς δὲ αὐτὰ διακρίνας διεκόσμησε. (Simplicius de cœlo, f. 145; cf. Diog-Laerce II, 6).

(2) Cf. Paradisum Dantis, sub fine cap. 7: Stirpium vegetativa, ferarum sensitiva anima desumpta fuit a stellis; hominis vero animus creatus a Deo. Dantes in paradiso non semel Timæi meminit. (cf. ibid. cap. 4.)

(3) « L'usage du feu accordé à l'homme et refusé à l'animal, met seul entre lui et nous une distance infinie. » (Bernardin de St-Pierre, har. de la nat. livre I.)

(4) Epicurei quoque sumebant nonnisi in humanam figuram rationem cadere posse; quos commode deridet Tullius. (de nat. Deor I)

(5) Diogenes rationem *Idearum* eludens Platoni dicebat: « Equidem poculum video; poculi formam vel ideam non video; » cui philosophus « Oculos habes qui poculum aspiciunt, non mentem quæ cernit poculi formam.» Dum ita jocabatur in Platonem Diogenes, vere Cynicum se præstabat. Canis enim (ut ceteræ bestiæ) non percipit rerum ideas; contra quam Plato male putat. (cf. Diog. Laerce).

(6) Stobæum Apuleius accedit, ejusdem rei testis (de Dogmate Platonis I. Animam vero animantium omnium non corpoream esse, nec sane perituram, cum corpore fuerit absoluta, omniumque gignentium...) cf. Proclum, in Platonis Theologiam, ubi sententiarum illarum repugnantia perpenditur (III, 1; pag. 128 infolio Æmilii Porti). Rem Proclus explanat benevole, sed parum probabili modo; verisimilius est Platonem sibi ipsum contradixisse, ut non semel philosophi.

(8) Cogitatio illa de qua dicit Aristoteles « ἔστιν ἡ νόησις νοήσεως νόησις, » a pecudibus aliena prorsus est.

(9) Alio loco Aristoteles intelligentiam nuncupat *definiendi vim*, qua bruta carere satis liquet.

(10) Pardisius (P. Pardies) et Huetius plurimum sategerunt ut Cartesium ab omni novandi crimine purgarent, sed parum feliciter; doctrina enim quæ bestiam facit *automaton*, ne adumbrata quidem fuit ab Aristotele aut Tullio, cum vere expressam fuisse ab iis ambo contenderent.

(11) Plutarch. de placit. Phil. v. 20 — adjicit Diogenes: « ... bruta ferme affecta esse eo modo quo sunt insanientes qui de potestate mentis exierunt. » — Novissimi sæculi philosophus (Maine de Biran) contulit ipse bestias amentibus, sic argumentatus. Præcipua pars animi humani non imprimis in cogitatione collocata est, ut existimavit Cartesius, sed potius in actu voluntatis et conscientia sui actum eum necessario subsequente. Stupidus autem aut amens præcipua illa parte animi captus, personæ suæ minime conscius est. Unde fit eum res non distincte et perspicue sentire, sed ejus ritu quem somnus propemodum occupat, aut somnia agitant. Tunc animi sensus afficitur motu obscuro, non attingente rationabilem animum, qui animus sui compos et conscius est natura sua. Hunc in modum igitur sentiunt vecordes, alienati a mente, et ipsa bruta, mente privata, judice Birano. Cum autem sensus eorum impulsus fuerit, deficiente clara animi conscientia neque lymphati neque bestiæ præteritos affectus meminerunt, sicuti nosmetipsi somniorum species memoria repetere plerumque non possumus. Quanquam Diogenis instar Manius Biranius dementes et animalia assimilat, tamen a veteri philosopho dissentit in eo quod sensum brutis relinquit, sed truncatum et quasi dimidiatum, sine conscientia animi postea recordaturi:

Vivit et est vitæ nescius ipse suæ.

(12) Somnians equus curriculi tamen invisi meminit. Nota prudentia illius elephanti qui conspectus est, illucente luna, præceptam a magistro saltationem dum meditabatur, et recordatione repetens iterabat, ne postridie pœnas negligentiæ aut inscitiæ daret.

(13) Magis etiam insanientes Manichæi sensum et rationis capacem animam stirpibus attribuebant. Hos lepide Divus Augustinus in operibus suis ludificatur.

(14) Memoria interdum dolorem renovat, sed eum qui pectore non corpore percipitur. Itaque cum gravissime doluerit Æneas, obversante illius oculis patriæ ruina, merito dicit cladem eam memoria repetere jussus:

Infandum, regina, jubes renovare dolorem.

Memoria tamen ab affectu plane sejungenda, quem res in men-

tem revocata movit, atque adeo ut rem acerbissimam libentissime recordemur :

Forsan et hæc olim meminisse juvabit.

(15) νοεῖν οὐκ ἔστιν ἄνευ φαντάσματος.... ἐν τοῖς εἴδεσι τοῖς αἰσθητικοῖς τὰ νοητά ἐστι. (métaphy. d'Arist. par Ravaissen, I, p. 436,437).

(16) Porphyrius Plutarchi multus imitator, Proclus et Ænesidemus idem sentiebant (cf. Saisset : Ænésidème).

(17) Cf. Virey, I. p. 498, ubi plurima afferuntur opera Germanica *De peccatis et pœnis brutorum*. Leibnitzius, ut nemo nescit, qualemcunque animum ab interitu prohibebat (Theod. p. 118.) Legitur, p. 220 : « C'est par l'injustice qu'il y aurait dans les souffrances des bêtes que plusieurs Cartésiens ont voulu prouver qu'elles ne sont que des machines « quoniam sub Deo justo nemo innocens miser est....» Le principe est bon, mais je ne crois pas qu'on en puisse inférer que les bêtes n'ont pas le sentiment. »

(18) Xenocrates Carthaginiensis credebat animalia Dei notitiam habere. Democritus, modo sibi constet, idem arbitretur necesse est ait Clementius Alexandrinus (Stromat. Lib. V.) cf. Baylium, T. IV, p. 78.) Plinius item (VIII, 1) religionem attribuit elephanti. Dio, Ælianus plura ex his pietatis divinæ speciminibus memorant, quæ Plutarchus sapientior omittit.

(19) Veteres Christiani scriptores libentissime pronuntiant hominem a bestia non adeo distare, quo melius rationis humanæ superbiam contra res divinas rebellantis contundant, sicuti sceptici philosophi faciunt, ne nos assequendæ veritati pares esse confidentius arbitremur. Sic Lactantius, Arnobius animalia mirifice extollunt hominis deprimendi gratia (cf. Baylium dict. phil. T. IV, 78). Philo, sententia eadem, et sacrorum librorum imitatione inducitur ad id, ut censeat « pretiosum esse apud Deum animalium genus, honoratum et laude celebratum apud homines Deum diligentes. » Graviter in hominem sic invehitur : « Superbiæ procellis jactati, quanta velut inhiantes mirari non erubescimus, præsertim cum supercilia contrahentes, cervicemque extollentes, ferocibus sententiis tumidi, deserti vacuique mente, fastuque elati reputamus nosmetipsos, ut poetæ dicunt, Diis proximos factos fuisse semine et propinquos generatione ; verum a cibo exiguo potuque superati, humi jacemus, ab alto cœlo cadentes. »

(20) Res parum comperta : immo plures docti comprobasse videntur quasdam formicarum species ab aliis in servitutem redigi. (cf. Michelet. L'insecte, p. 264, 267).

ut lupi, vulpes, formicæ, castores, grues migrantes; sed congregationes illæ fortuito plerumque fiunt, et in tempus, aut etiam ex aliquo naturæ instinctu efficiuntur quæ similes conjungit similibus. Sed

(21) Nonnulla animantium genera societates ineunt, utilitatis causa animales istæ *Homœomeriæ* (absit verbo insolenti invidia) ut piscium grege facto per mare vagantium, quam exhibent cum humanis societatibus similitudinem ?

(22) Beati sunt infantes et pueri, quia non multum animi variis ægritudinibus laborant.

(23) A plerisque veteribus philosophis, ne dicam omnibus, male definita libertas est.

(24) Per jocum facetus quidam auctor anno 1750, demonstrare tentavit *per Dæmones* agi quidquid in brutis agitur, iisque dæmonibus adscribenda, si qua apud ea intelligentiam humanam referunt; ita ut mirabile sit, ait scriptor, feras non majori etiam solertia et versutiis magis ingeniosis excellere, cum ab ingeniosissimo omnium Diabolo intus incitentur.

(25) Lorsque Dieu rendit raison au Prophète Jonas du pardon qu'il avait accordé aux habitants de Ninive, il toucha même l'intérêt des bêtes qui auraient été enveloppées dans le renversement dn cette grande ville. *Aucune substance n'est absolument méprisable ni précieuse devant Dieu.* » Leibnitz, Théol. p. 134.

Si tibi scire placet quo modo bruta in sacris codicibus æstimentur. vide Voltarium (Le Lion et le Marseillais), necnon et notulas ejus fabellæ haud indignas cognitu.

(P. 74, l. 15) « tum quia inter se sua significent, tum quia diligenti solertia sibi consulant, usuique futuro provideant, tum quia discant et ab se invicem et ab hominibus multa... Subjungit (Porphyrius) Aristotelem, Platonem, Empedoclem, Democritum, aliosque quicunque veritatem de animalibus perscrutati sunt, participationem rationis orationisque in iis comperisse. Apparere autem in hac diversitatem, ut Aristoteles quoque dixerit in essentia minime differentem: sed per magis minusve diversitatem, quemadmodum plerique putent differentiam Deorum in hac ad homines esse. » Excerpta illa sunt opere cui titulus: Iamblicus de mysteriis Ægyptiorum... Proclus in Platonicum Alcibiadem de anima.... Porphyrius de Divinis atque Dæmonibus.... Psellus de Dæmonibus.... Mercurii Trismegisti Pimander etc., Genevæ, apud Tornæsium. MDCVII.

(27) Ipsæ feræ se nonnunquam instituunt, ut apparet in luscinia quam constat juniores discipulas cantum edocere.

(28) Stoici, Plotinus. — Buffo isti hæresi proximus est, prætexens bruta temporis notionem non assequi. (Disc. sur la nat. des animaux, p. 55). Tamen ad gradiendum non necesse est rationem motus perspectam habere. Apud Molierum, lasciva famula Nicolle, quamvis artis gladiatoriæ ignara, præstat se Jordano hero formidabilem, dum ludicris armis eum punctim inurget. Imo Jordanus ipse litteras A, O, U, quoties expresserat, antequam ei liberet philosophiæ studium attingere! hoc satis apud philosophos usitatum facultatis cujusdam usum cum conscientia aut cognitione diligentissima hujus facultatis confundere.

(29) Inter eos affectus cæcos annumeranda sunt ingenita odia, et veluti patriæ inimicitiæ generum quorumdam adversus alia, ut canum in feles, etc.

ERRATA.

Pag.	14	lin.	18	*in loc.*	detricet	*leg.*	delinet
—	21	—	13	—	sedc	—	sede.
—	24	—	7	—	crudeliati	—	crudelitati.
—	28	—	9	—	tertiam	—	tertium.
—	34	—	39	—	quemadodum	—	quemadmodum.
—	39	—	13	—	nequaquum	—	nequaquam.
—	42	—	12	—	potim	—	potius.
—	id.	—	22	—	genitu	—	gemitu.
—	44	—	7	—	utrasque	—	utramque.
—	id.	—	31	—	Zenorem	—	Zenonem.
—	id.	—	9	—	demonstrandam	—	demonstrandum
—	47	—	11	—	aliquantenus	—	aliquatenus.
—	51	—	18	—	contentiorem	—	contentionem.
—	54	—	6	—	nihi	—	mihi.
—	57	—	23	—	oprimimur	—	opprimimur.
—	58	—	26	—	verteretar	—	verteretur.
—	59	—	2	—	dissimilimis	—	dissimillimis.
—	61	—	3	—	sabolem	—	sobolem.
—	id.	—	4	—	pud	—	apud.
—	62	—	3	—	naturæ	*add.*	nostræ.
—	id.	—	31	—	ne	*del.*	
—	63	—	5	—	Ulisse	*leg.*	Ulysse.
—	id.	—	8	—	personnarum	—	personarum.
—	id.	—	10	—	geminam	—	genuinam.
—	id.	—	16	—	natnram	—	naturam.
—	id.	—	22	—	diligcntius	—	diligentius.
—	id.	—	33	—	ressucités	—	ressuscités.
—	64	—	3	—	credentiam	—	credentium.
—	67	—	13	—	nonnis	—	nonnisi.
—	68	—	34	—	lut	—	ut.

Alger. — Ex typis A. MOLOT.